Theo. Seminary

DE GODOFREDO HERMANNO

ENODATORE

EPISTOLAE PAULI AD GALATAS

PER LITTERAS COMMUNICAVIT

CUM

HENR. EBERH. GOTTLOB. PAULO

JOANNES SCHULTHESS

TURICI TYPIS SCHULTHESSIANIS.
MDCCCXXXV.

De Godofredi Hermanni periculo quid philologia profana per se sola valeat ad libros N. T. enodandos

EPISTOLA PRIMA

Doctori Henr. Eberh. Gottl. Paulo
Jo. Schulthessius
S. D.

Tuas litteras undecimo hujus mensis exaratas nudius tertius accepi, quae quum totae me ut omnia tua delectant, tum praecipue eo, quod mihi sententiam tuam de angelologia mea recens a legendo aperire volebas hunc in modum: „De angelologia, prout fert „natura, mihi tecum valde convenit. Patres demum „eo usque degenerarunt ab intelligentia apostolica, ut „ejusmodi *πνεύματα*, quae ex hypothesi non bona „esse non possunt, supra hominum animos extolle„rent, qui sua sponte boni evadere et possunt et de„bent. Pro eo tamen, quod *τό εἷς* unum omnium „communem postulet intelligi, velim aliquot exempla „vel parallela submittas."

Forte fortuna accidit, ut eodem fere die programma, quo Godofredus Hermannus memoriam Io. Aug. Ernestii solenni oratione celebrandam postremo mense Septembri indixit, in manus mihi veniret de Pauli epistolae ad Galatas tribus primis capitibus, locum πολυθρύλλητον illum commentatorumque dissensionibus famosissimum eximio cum studio versans, ex quo nosmet ipsi ἀφορμὴν ἐλάβομεν excutiendi angelologiam biblicam. Nihil profecto jucundius mihi esse poterat quam cognoscere, quem sensum et intellectum vir talis ex hoc dicto Paulino reportaverit, ac mea conferre cum suis. Quo facto mihi nunc libitum est, quoniam Te fortasse juvabit, cognita communicare Tecum idque maturato: nam homines aetatis exactae procrastinare quidquam minime decet.

Ante omnia exscribere ac perpendere opus videtur, quod pag. 10 disputat hunc in modum Hermannus:

„Quum semen Abraami, quia sit singulari „numero dictum, de Christo intelligit Paulus (Gal. „3: 16), aperte argutatur. Et videatur id fortassis „alicui nulla necessitate cogente fecisse, quia idem „esset adsecutus, si sic acceptis verbis, ut sunt accipienda, nunc illam vivere hominum generationem „dixisset, in qua rata fieret per fidem Christi illa „Abraamo data promissio. At non temere eum, sed „provide et quia consilium ejus exigebat, hanc interpretationem attulisse, infra ostendemus.“

Fidem exsolvit pag. 12. his verbis: „Nunc vero „intelligi potest, cur illa Abraamo dicta verba καὶ τῷ „σπέρματί σȣ de Jesu, non de posteris Abraami „sit interpretatus. Nam posteritatem Abraami si concederet significari: non posset Mosis auctoritatem eo

„minuere, quod is nihil nisi intercessor fuisset; si „quidem etiam illis Abraami posteris, ut novam Dei „legem acciperent, interventore opus erat Iesu."

Id contra nos adseveramus, vocabulo σπέρμα singularis numeri non unum Iesum a Paulo significatum doceri. Quod si fecisset, manifesto sane argutatus esset, ut recte censet Hermannus; quo lusu tamquam fundamento nixa disputatio simplicibus tantum imposuisset, hominibus autem verborum et rerum non usque adeo imperitis omnem copiam dedisset Paulum vanitatis coarguendi et cum sua causa exibilandi.

Vix crediderim, Hermannum istiusmodi argutias sive ineptias adficturum fuisse sapientissimo apostolo, nisi inde ab Irenaeo Patres ac dogmatum opifices librorumque symbolicorum auctores hunc nostrum locum et Gal. 4: 4. cum Gen. 3: 15. collatum ita interpretati essent, ut semen hic mulieris, illic Abraami unus Iesus vocaretur. Haec tot seculis per manus tradita virorum ecclesiasticorum commenta obrepserunt ei, atque in quaestionibus Iudaicae litteraturae, quam ipse parum callet, iis, qui hoc genus profitentur, fidem haberet male oculatam, necesse erat. Quare audiit ad h. l. W i n e r u m, qui: „Bene, inquit, viderunt interpretes, „hanc Pauli argumentationem hominum j u d a i c o r u m „quibus cum ageret ingeniis magis quam linguae he„braicae rationibus accommodatam esse. Solent enim „Judaeorum magistri et ipsi singularem vel pluralem „vocabulorum numerum nonnullis in locis S. S. ita „premere, ut inde argumenta ducant." Nos vero audimus C l e r i c u m, ad Gen. 3: 15. haec animadvertentem: „Veteres aliquot Iudaei, inter quos scri„ptores paraphrasium Chaldaicarum, Messiam respici „hic censuerunt; qua in re longe maximam Chri-

„stianorum partem adsentientem habent. — Sed quae-„rendum esset, an sine ulteriore interpretatione Eva „et antiquissimi haec de singulari illa persona quae „Messias dicitur intelligere potuerint. Certe ne ipsi „quidem paraphrastae Chaldaei, quamquam Mes-„siam respici volunt hoc oraculo, satis distincte se-„mine mulieris signari eum docent. Verba sunt „Hierosolymitani: Quando filii mulieris operam „dabunt legi et fecerint mandata: studebunt conterere „tibi caput et occident te. Quando vero relinquent „filii mulieris legis praecepta: dabis operam, ut „mordeas calces eorum. Verum erit remedium filiis „mulieris, tibi vero serpenti nullum remedium erit; „quandoquidem futurum est, ut alii aliis incolu-„mitatem praestent in calcibus, tempore regis „Messiae. In eundem plane sensum παραφράζει „Jonathan. Illi diserte quidem Samaelem, angelum „mortis, vocant serpentem, sed semen mulieris „Judaeos interpretantur, qui temporibus Messiae vim „Samaelis non jam timebunt."

Quae loça ex Breschith 23, 7. et Ruth rabb. 4, 20. a Wetst. ad Gal. 3: 15. laudantur, huc non pertinent, quia non simplex *σπέρμα* premunt singulari numero dictum, sed *σπέρμα ἕτερον*, hoc est, qua cogitatione delirius nihil, exiturum ex alio loco, זרה, vulva. Atqui hoc ipsum ad Pauli quam quaerimus notionem proxime accedere opinatur Winerus!! Quando tandem desinent commentatores ad interpretationem, si Deo placet, evangeliorum et litterarum apostolicarum sine judicio vel futilissima et vesanissima ex Rabbinorum sentinis congerere istiusmodi, ut quid sacros auctores senserint ac dixerint inde probabile fiat?

Nec vero quisquam offenderit, quantum scimus,

in eo, quod Paulus monet vocabulum singularis numeri non idem valere quod pluralis; sed quod, ut vulgo interpretes opinantur, nomine collectivo singularis numeri contra omnem usum loquendi unum certum hominem designatum velit. Nam ipse Winerus: „זרע non est nomen unitatis quod dicunt, sed significat sensu collectivo subolem, prolem cujusdam omnem, sive uno filio sive pluribus constet. Hinc זרועים nunquam nisi de plantis, germanice Samenkörner, Sam. 1, 8: 15.“

Ex quo sequitur, ut si Christus Iesus *σπέρμα Ἀβραάμ* esset, progenies Abraami ad unum numero caput rediret; quod sana cum ratione Paulus censere non potuit neque ullis hominibus, sive Judaeis sive Graecis, probare. Deinde, ut infra videbimus, nunquam grana, *κόκκοι*, unius generis, sed genere diversae sementes זרועים Hebraeis vocantur.

Duo, pace viri dixerim, suis meritis laudibusque suo in campo cumulatissimi, non sua, sed eorum culpa, qui Hebraici sermonis et Iudaicae consuetudinis magistri feruntur, haec duo haud satis explorasse Hermannus videtur. Primum quam vim et potestatem *τό εἷς* pro sua compagine hoc in commate subjectam habeat. Diligentius enim attendere debebat, hoc loco *ἕν* dici *σπέρμα* vocabulum collectivum; quapropter זרע in Hebraeorum voluminibus sacris semel tantum in forma pluralitatis reperiatur, idque ita usurpatum, ut generis diversi sata significentur, non singula alicujus seminis grana. Sam. 1, 8: 15. *τὰ σπέρματα ὑμῶν καὶ τὰς αμπελῶνας ὑμῶν* זרעיכם וכרמיכם. Recte Clericus: sementes et vineas vestras. Cfr. comma proxime antecedens, ubi hoc est parallelum: *τὰς ἀγροὺς ὑμῶν καὶ τὰς ἀμπελῶνας καὶ τὰς ἐλαιῶνας.* Exod. 22: 5.

ἀγρὸν ἢ ἀμπελῶνα. Unde apparet, *σπέρματα* numeri pluralis sata dici non unius generis ac speciei, sed variarum frugum, *κρίθης, ζέας, πυρȣ* etc. quemadmodum כרמים diversi generis intelliguntur, כרמי יין זית, horti vitiferi, oliviferi etc. Eadem est ratio nominis cognati זרועים Jes. 61: **11.** Atque etiam apud Rabbinos זרעית in plurali de diversis familiis, non de singulis personis alicujus familiae dicitur.

Apud Paulum atque omnino in N. T. libris hoc nomen pluralis numeri bis tantum occurrit Matth. **13**: **32**, quod idem dictum apud Marcum quoque **4**: **31.** extat: sinapi, ut semine minimum, sic olerum, *λαχάνων* maximum, ubi *κόκκος σινάπεως μικρότερον* dicitur omnium granorum, ex quibus quodvis aliud olerum genus provenit. Cor. **1**, 15: 38. *Ὁ Θεὸς — δίδωσι — ἑκάςῳ τῶν σπερμάτων τὸ ἴδιον σῶμα*, hoc est: satorum, frumentorum cuique generi suum corpus attribuit, quemadmodum aliud alii animalium generi, hominibus, quadrupedibus, piscibus, volucribus, ita ut singula germina et herbae e granis triticei frumenti, quotquot numero sunt, corpore similia discernuntur facile ab herbis ex c. hordeaceis, avenariis. Id quod olim recte vidit Erasmus, cujus in paraphrasi est: „Singulis seminum generibus (*ἑκάςῳ τῶν σπερ-* „*μάτων*) peculiarem vim penitus indidit, ut quum „renascantur omnia, non tamen eadem forma rena- „scantur.“ Pari modo Zuinglius: „nam aliam formam triticum, aliam far, aliam hordeum habet.“ „Sic per inductionem effectum habemus, ut *σπέρμα* generis notionem habeat a genere discernendi, non unius de genere a *συμφύτοις, ὁμογενέσι.* Qui *σπέρματα* dicit, multa dicit genera, non numerum unius ejusdemque generis.

Consimilis est usus vocabuli *αἷμα*, quod semel plurali numero dictum in N. T. libris extat Io. 1: 13. *Οἱ οὐκ ἐξ αἱμάτων ἐγεννήθησαν*, i. q. *σπερμάτων*, qui non jure et conditione hujus illiusve sanguinis, quicunque is est, cernuntur, utrum Israelitae sive Josephitae sint, an de tribu Juda, de domo Davidis, Hebraeine omnino an alienigenae, ita ut nihil referat Judaeum esse aut Graecum, Barbarum, id est in ora Africae australi natum, quam sinus Barbaricus alluit, aut Scytham, quo magis minusve in familiam Dei recipiaris. Similiter Paulus Athenis: Fecit, inquit, ut *ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων* habitaret *ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς*, Atheniensium insolentiam carpens, qui gloriari solebant, se solos mortalium *αὐτόχθονας* esse, *ἐκ μιᾶς χθονὸς, τῆς ἰδίας ἀναφύντας, οὐ μιξοβαρβάρους.*

Jam haec vis collectiva vocabuli *σπέρματος* non permittit, ut *ἓν* adjectum unum numero granum significet, unum de individuis, ut ita loquar, quae simul sumta, infinita numero, nomini alicujus *σπέρματος*, h. l. Abraami subjecta sunt; non dico *σπερμάτων*, quia collectiva plurali nomine dicta alium omnino quam in singulari sensum efferunt. Aliud est sensu *ἓν σπέρμα*, aliud *ἓν σπερμάτων*. Nam serviens nomini collectivo eam vim inde trahit *ἓν*, quam Germani adjectivo numerali *ἐπὶ ποιότητος*, qualitativo, ut ita loquar, exprimunt einerley, uniusmodi, ejusdem naturae, indolis, generis. Sic allerley, mancherley, anderley. Apud Graecos quidem reperias nomina *παντοῖος*, *ἀλλοῖος*, non item *ἑνοῖος*, *πολλοῖος*. Hellenistis autem ne *παντοῖος* quidem aut *παντοδαπὸς* usitatum fuit, sed *πᾶν*, sicut Hebraei כָּל, accipiebant, non „de singulis modo generum, sed de

„generibus singulorum," ut nonnulli Grammatici loquuntur, vel ut Glassius, „voculam universalem „affirmativam quandoque intelligebant non de omnibus „individuis, sed de quibuslibet speciebus." Hinc Lutherus, ipsa rerum natura ductus, numeralia *πᾶς*, *εἷς* vocibus allerley, einerley interdum reddidit, ex. c. *πᾶσα νόσος*, allerley Seuche, omnigenus morbus, *μία εἴςοδος*, einerley Eingang, unimodus introitus. Sic *πᾶσα σὰρξ* non est omnis caro, sed omnigena; nullius non gentis et nationis homines; *μία σὰρξ*, coalescens caro naturae instinctu itaque a Deo conjugata, non una numero caro. Marc. **10**: 8. coll. 9. Vid. Clericus ad Mos. **1**, 2: 24. Vocabulum enim *σὰρξ*, בשר, apud Hebraeos et Hellenistas collectivum est, nusquam unitatis. Falso igitur Lexicographi volunt, Io. **1**: 14. hoc vocabulo aliquem hominum, solum unum Jesum intelligendum esse, ubi est: *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.* Imo Evangelista dicit apparuisse, ut hominum quamvis mortalium genus rationis divinae particeps esset, quibus nimirum datum esset *παραλαβεῖν τὸν λόγον*, quum *ὁ λόγος* lucem lumenque vitae omnibus sese hominibus praebeat viam vitae ingredientibus, quam quasi Deum subsequentes ad naturae perveniant extremum, ut verbis utamur Ciceronis. Si vero *σὰρξ* perinde ut *ἄνθρωπος* unitatis vocabulum esset: Tim. **1**, 2: 5. salvo sensu scribere apostolus poterat: *εἷς ἐστι μεσίτης — σὰρξ I. X.* Quam locutionem quum nemo non sentiat, ab omni sermonis humani usu et lege alienam esse, manifesto apparet errare, qui docent, *ἄνθρωπον* et *σάρκα* synonyma vocabula esse, ut pariter hoc et illud singulum aliquem mortalium significare possit.

Idem quod Gal. 3: 16. *ἓν σπέρμα*, Rom. 4: 16.

πᾶν τὸ σπέρμα Ἀβραὰμ dicitur a Paulo, non concedente, ut semen Abraami sola fide ejus censendum dividatur in circumcisos et praeputiatos, illorumque tantum τὰς ἐπαγγελίας esse credatur. Sic πᾶν τὸ σπέρμα, totum universumque semen Abraami, idem ἓν quoque haberi debet, propterea quod est individuum, nempe ut Classici, non ut Scholastici hac voce uti solent. Quam saepe volumina sacra hoc ipsum semen Abraami innumerabile fore pollicentur, sicut stellas in coelo, arenam in littore maris? Nihilominus perpetuo singulari nomine τὸ σπέρμα vocatur proles illa beanda. Quam ob causam? haud profecto quod unum numero, sed quod unum indole, quod nihil diversum κατὰ ποιότητα. Simplex ergo, quod contra ponitur mixto, ex dissimilibus et disparibus congesto, esse monet apostolus illud semen Abraami, ad quod solum pertineat Abraamo destinata felicitas propter ejus fidem, parenti τῶν ἐκ πίστεως Ἀβραὰμ, ita ut nihil referat, an sint ἐκ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ aut certe ἐκ τῆς περιτομῆς, an ἐξ ἀκροβυστίας. Nam τοῦτο τὸ σπέρμα, τὸ ἐν Ἰσαὰκ καλούμενον, τῷ κατὰ πνεῦμα γεννηθέντι, non ἐν Ἰσμαὴλ, τῷ κατὰ σάρκα, quem filium Deus non promiserat. *Ταῦτα τὰ τέκνα τὰ εἰς σπέρμα λογιζόμενα* (R. 9: 7, 8), τὰ τῆς ἐπαγγελίας, hoc est ἄξια ἐπαγγείλασθαι, utpote quae talem patrem animo moribusque referant, amabilia, laetabilia, quum alia polliceri non Deum, alia exoptare non Abraamum deceret. Quid quod Jesus negarat, Judaeos, qui τὰ ἔργα Ἀβραὰμ non facerent, τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ esse, utcunque σπέρμα Ἀβραὰμ essent, at non ἀξιόλογον, ita ut si de semine Abraami sermo fieret, nullam in rationem istud veniret, a paterna degenerans probitate. Semen ergo Abraami ex una sola fide ejus

cernendum esse judicavit Paulus, quam fidem Deus omnibus, quotquot *ϛοιχῦσι τοῖς ἴχνεσιν Ἀβραὰμ εἰς δικαιοσύνην λογίζεται*, ita ut justi ex fide (quod unum argumentum est hominum apud Deum probitatis, quemadmodum apud homines esset inter se ipsos, si modo pectora sua mutuo inspicere possent), ut justi, inquam, agnoscantur ex fide, non ex operibus positivae legi convenientibus. *)

Ponamus, Gen. 22: 18. sic legi scriptum: *Ἐυλογηϑήσονται ἐν τοῖς σπέρμασί σȣ πάντα τὰ ἔϑνη*! Tum dictio sine ulla controversia varias ex variis conjugiis stirpes Abraami expostulat et promissam et non promissas, conditione nascendi, indole animi et vitae cultu diversas, Hagaritas et Keturitas juxta cum filio et nepotibus ex Sara, et hos item promiscuos, respondentes paternae virtuti aeque ac dissimiles.

Sed vero Winerus inscite satis objicit, si duplex filiorum Abraami genus indicaretur: non recte haberet *πολλῶν*. Quasi nesciat, Hellenistarum *κλίσεις* vacare *ἀριϑμῷ δυικῷ*, nominaque eorum, si non *ἑνικȣ̃*, *πληϑυντικȣ̃* esse. Sin ergo *σπέρματα* audis, inde non definite duo triave conjicere licet, sed *πληϑύν τινα*, multitudinem seminum. Ridiculus esset, si quis audi-

*) Fundamentum ergo divisionis una fide constat, ut semen aliud Abrahami idque *γνήσιον*, probum, fide sit praeditum, aliud *νόϑον*, a fide aversum. Quod si sensisset, non scripsisset Jaspis: „Paulus Christianorum multitudi-„nem, tam ex Judaeis quam ex Ethnicis collectam, „hic dixisse sumitur *ἓν σπέρμα*, quos Christianos alibi „in duo *σπέρματα* distribuit Rom. 4: 11, 12, 16. Ista „igitur ambiguitas hanc interpretationem, per quam „*σπέρμα* sensum habet collectivum, non facit proba-„bilem.“ Ex quo apparet, latuisse etiam hunc interpretem, quid *ἓν σπέρμα* sibi velit ac possit.

ens, aliquem filiis auctum esse, inde conjectaret, duos eum habere filios. Et hoc loco refert ad causam, unum esse semen Abraami ad quod pertineat promissio; nihil refert, duone an tria, vel quam multa sint ejusdem semina, ad quae non pertineat. Praeter illud unum cetera, quotquot cogitare possis, promissa felicitate carebunt, itaque altero genere continentur, exherede bonorum. Si quis multos quidem habeat natorum, sed unum filium legitimum: bifariam tamen hac ratione dividuntur, ita ut altero genere heres ille solus contineatur, altero ceteri plus minusve numerosi, aliquo modo fortasse inter se diversi, pariter tamen spurii. Duo diserte *σπέρματα Ἀβραὰμ* Gen. 21: 12, 13 memorantur, Isaacus unum, *ὀνομαςὸν*, *ἔνδοξον*, ex matrona Sara susceptum, alterum Ismael ex ancilla, Hagara. Sed etiam subintelliguntur Keturitae, deterioris quoque juris, ut e pellice nati. Esavus in eundem quoque censum venit, nepos quidem ex justo matrimonio, sed *πρωτοτοκείων* honoribus et emolumentis privatus. Quam externae conditionis dissimilitudinem Paulus in animos et mores transtulit. Nihil ergo Wineri objectio valet non solum contra Socinianos, sed etiam contra Bezam, Gussetum et alios.

Sic luculenter omnino rationibus ex usu loquendi ipsaque sermonis natura depromtis Paulus singularem hujus vocabuli numerum attendi voluit, non temere videlicet vel fortuitu *τῷ σπέρματι* dictum esse, sed ut appareret, non datam licentiam cuivis Abraami semini aut promiscuo felicitatem promissam sibi arrogandi, sed simplex quoddam semen veluti digito monstrari ejus potiturum.

Hinc elucet injuriam facere Paulo Hermannum, quum censet Paulum in hoc vocabulo aperte argu-

tatum esse, qui nihil nisi propriam ejus vim et naturam, quantum ea valeat, acute quidem et subtiliter exposuit, ita ut philologia classica pariter et sacra ejus rationem comprobare debeat. Rectius profecto Heinsius in exercitt. ad N. T. judicasse videtur, Paulum Grammaticorum more ac τεχνικῶς locutum esse. Ex. c. si quis diceret, sese a rege in aedem ejus intromissum esse: num argutaretur, si res ferret animadvertens, de una aede sermonem esse, nempe de ea, in qua rex ipse esset, non de pluribus, non de aliqua multarum aedium, quibus domus regia constet.

Sed non magis in re et sententia quam in vocabuli forma Paulum argutatum esse, facillime evincitur. Nam optimo jure apostolum fidem statuere unam solamque conditionem, qua Deo praestanda progenies Abraami majestatem inter gentes ac felicitatem summo patriarchae suo promissam adepturi essent, principatum Abraamidarum in hac una virtute positum esse, apparet quum e Ps. 147: 19, 20. et Mos. 5, 4: 5—10, tum 1, 18: 18, 19, ubi sic loquitur Iehova: „Scio, „Abraamum suis liberis ac domui suae post se futurae „mandaturum esse, ut Iehovae viam teneant et jus „fasque colant, quo conferat Iehova in Abraa-„mum quae pollicitus est ipsi.“ Scite ad h. l. Clericus: „Ex hoc videmus, promissorum divino-„rum effectum de conditione pependisse, quam si „violarent Abraamidae, Deus illa praestare non tene-„batur“ (imo per suam sanctitatem non poterat). Et Grotius: „Haec verba illam legem spectant Mosis lege antiquiorem“ Ergo legem naturae, id est Dei, qua nihil antiquius, mentibus humanis ingeneratam, propter sese libero animo tueri, nulla lege positiva

coactum, et fidem colere unum idemque est. Legum positivarum necessitas profecto fidei vacuitatem arguit atque homines, qui his talibus legibus indigent, non probum semen Abraami esse, non *δικαίʊς ἐκ πίςεως*, convincitur Tim. 1, 1: 9. Videantur similia, quae ad h. l. Wetstenius e Classicis collegit.

Lex igitur Mosaica vel aliqua positiva nunquam *τοῖς ἐκ πίςεως* data, qui *ἐξ αὐτῆς τῆς πίςεως δίκαιοι* sunt; ergo non *ἐτέθη* vel *προςετέθη τῷ σπέρματι Ἀβραὰμ*, quod sola fide censetur, non *τέκνοις ἐπαγγελίας*, *τοῖς γεγεννημένοις κατὰ πνεῦμα*, in quos ista nullam vim ac potestatem unquam habebant, virtutis amore non peccantes: nam si formidine poenae, quam lex positiva minitabatur, peccare odissent, mali erant, non *δίκαιοι*. Vid. ibid. Haec lex igitur *ἕτερον σπέρμα* habet obiectum quam illa *ἐπαγγελία*, itemque alius est auctor hujus conditae legis, quam *τῆς ἐπαγγελίας*, ut Paulus certe jam docet. Nam *δι᾽ ἀγγέλων* latam esse positivam legem dicit, non dicit *δι᾽ ἀγγέλʊ ὡς ἐφ᾽ ἑνὸς, ἀλλ᾽ ὡς ἐπὶ πολλῶν.* Si quis enim unus de multis sive hominibus sive angelis aliquid egerit: id generi adscribere licebit, quod singuli cujusdam generis egerunt: nimirum ubi unus, ibi certe possunt complures ejusdem generis esse; et quod unus de multis, quales angeli creduntur, idem plures conati, moliti, assecuti esse possunt. Quod ipsum optimi scriptores ea figura, quae enallage numerorum dicitur, significare consueverunt, plurali pro singulari utentes. Vid. Glass. Philol. S. pag. 1250 sqq. Matth. Gr. Gr. §. 292. Fischer. ad Vell. III. a. pag. 301. sqq. Schulthess de Charismatt. Sp. S. p. 190. Exemplum simillimum reperias Hebr. 2: 2. Act. 7: 53. coll. v. 38.

Δι᾽ ἀγγέλων, inquit, lex ista constituta est mini-

sterio Mosis, qui Deum non vidit (Io. 1: 17, 18), ἡ ἐπαγγελία autem accepta refertur Deo, cui nihil viget simile aut secundum, quique unus est itaque singulariter ac proprie unus, ut non sit unus de multis, ὁμογόνοις et ὁμωνύμοις, sed ut praeter ipsum alterum sui generis, nominis, ordinis ne cogitare quidem cum sana mente liceat, ut ei adnumerare et contribuere neminem possis; quemadmodum Antisthenes quarto ante Christum seculo in ea fuit persuasione, populares Deos (quos recentiores quidem Iudaei angelos appellare solebant) multos, naturalem (τὸν φύσει ὄντα) unum esse. Ex quo Vellejus ille Epicureus non sine causa judicavit, Antisthenem sustulisse vim et naturam Deorum. Quod nos quidem concedimus ita, ut eundem simul disertissime vim et naturam Dei professum esse affirmemus; haud secus ac Paulum quum dicit: ὅτι εἰσὶ λεγόμενοι (νομιζόμενοι) θεοὶ εἴτε ἐν ὐρανῷ εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς πολλοὶ, hoc est ὓς μὲν ἑκάςη πόλις θεὺς εἶναι αὐτῇ νομίζει (Xenoph. Mem. 1, 1: 1). Verum tamen, pergit, ἡμῖν εἷς ὁ θεὸς, ὁ πατὴρ, itaque φύσει ὢν (nam qui parens, auctor naturae, dator et altor vitae nostrae non est, nec Deus est), dum illos φύσει μὴ ὄντας (Gal. 3, 4: 8), ἀλλὰ δοκήσει μόνον, recta ratio evincit.

Haec hactenus. Satis enim superque ostendisse nobis videmur ab utraque parte et verborum et sententiarum Hermannum errare arbitrantem: „Paulum „argutatum esse, ac verba Genes. 15: 5, 6. 18: 18, „19. 22: 18. laudata non ita accepisse ut sint „accipienda, eumque idem assecuturum fuisse, si „modo dixisset, nunc illam vivere hominum generationem, in qua rata fieret per fidem Christi illa „Abraamo data promissio."

O stultum Paulum, si tantam opportunitatem dedisses adversariis insimulandi vel fraudis qua circumvenire Galatas tentasses vel imperitiae manifestae in expositione librorum sacrorum. O stultiorem adeo, si opinatus esses, te solo arbitrio tuo persuasurum, nunc illud aliquando felix provenisse semen Abraami, quod ex fide Christi discerneretur a ceteris mortalibus. Non enim apostolus, dum inter homines fuit, ea auctoritate florebat, ut non solum ii quos docebat, sed etiam quibusdam disceptabat, satis haberent ad sententiam ullam amplexandam vel ab suis opinionibus inveteratis maxime aversam, si modo Paulus eam pronuntiasset; sicut hodie Christiani vulgo, quemadmodum olim Pythagorei, si quid affirmarent in disputando, quum ex eis quaeratur, quare ita sit, respondere solent: *αὐτὸς ἔφα.* Nam is apostolus fuit, cui decretum esset, haud secus atque Ciceroni, non tam auctoritatis in disputando quam rationis momenta quaeri debere; quin etiam obesse plerumque iis qui discere velint auctoritatem eorum, qui se docere profiteantur: desinere enim suum judicium adhibere; id habere ratum quod ab eo quem probent judicatum videant. Hoc autem maxime molestum accidit Christo et Apostolis, quod apud Iudaeos et Iudaistas rationis momenta per se sola nihil valebant; auctoritate nonnisi sacrorum librorum adsensus extorqueri poterat. Quare necesse fuit Paulo e libris Mosis efficere, ut ii, qui in fidem Christi concederent, illud semen Abraami essent, ad quod unum promissio Abraami data pertineret. O si nostra aetas eo sapientiae processisset, ut rationis momenta penitus cognosceret, quae Christus et apostoli abunde attulerunt! Tum vero ad fidem divinae veritati faciendam nihil amplius requirerent ac Mose et

prophetis facile carerent: nam ubi sol splendet: quis la padum usus nisi oculis vitiosis, diei lucem non ferentibu

Sed ut redeamus, unde digressi sumus, id nunc quum maxime Paulus agit hoc loco, ut probet Iudais ὅτι διὰ νόμυ νόμῳ ἀπέθανεν (Gal. 2: 19), ὅτι νόμ ὐ καταργεῖ, ἀλλ' ἵςησι, contendens, ἐπείπερ εἷς ὁ Θε δικαιωθήσεσθαι περιτομὴν ἐκ πίςεως καὶ ἀκροβυς διὰ τῆς πίςεως. Rom. 3: 30, 31. Hoc enim s clarius esse ex illis, quae ὁ νόμος, *) cujus aucto tatem recusare sit nefas Iudaeis, de Abraamo trad probe intellectis et consideratis.

Winerum Hermannus jure castigat, qui p Lutherum, Calovium et alios Gal. 2: 19. priore lo νόμον de lege christiana intelligendum putat. „ „id nec per verba licere, nec necessarium esse „sententiam," Hermannus arbitratur. Fridericus q dem Jos. Grulich, Archid. Torgaviae, qui prov ciam defendendi Wineri nuper suscepit, hac l parmula protexit adflictum: „Vulgaris explicatio, „Winerus ostendit, magis convenit dictioni Pa „usitatae." Sed nihil ostendit Winerus, quam Ch stianam disciplinam apud Paulum νόμον πίςει νόμον δικαιοσύνης τῆς ἐκ πιςέως, νόμον τῦ πν ματος τῆς ζωῆς ἐν Χ. Ι. vocari, ac Paulum s ἔννομον Χριςῷ fateri. Non ostendit quod ostend dum erat, vocabulum νόμυ nudum, nullo mo insignitum, alicubi de Christiana disciplina usurpat esse a Paulo. Tantisper, dum hoc fecerit Grulic

---

*) Antanaclasis Rom. 3: 19, 31. Gal. 2: 19, ubi se vocabulo νόμος lex Mosaica significatur, deinde p aliqua codicis sacri, ex. c. genesis vel psalmi aliquis prophetarum.

m clientem non incolumem praestiterit, qui qui- 1 curis posterioribus in tertia editione quatuor is abhinc *μετανοήσας* utroque loco *νόμον* de lege saica interpretari didicit a Pelagio, Oecumenio, vino, aliis, hunc in modum: „Lex legem sustulit; sa lex quum non posset mihi salutem impertire: ei me juris fecit atque ab suo imperio liberavit.“ o lex salutem impertire non potest; potest liber- : donare, quae plus quam salus est, quae vita lis? Lex autem, qua legem sublatam dicit, in interpretatione desideratur, nisi si *αὐτονομίαν* 1 legem esse velit. Et quo tandem more loquendi *θνήσκω νόμῳ* tantundem sonat ac: *Ἐλεύθεροῖ με ος ἀφ᾽ ἑαυτϋ.* Si quis servire cui desierit, ut pri- m imbecillitatem domini perspexerit: qua ratione n liberatorem suum vocabit? Nos autem ex Rom. 30, 31. persimile laudavimus Pauli dictum, quod : loco recursat, dum modo animadvertamus, per anaclasin *νόμον* semel significare dicta e libro Ge- eos ad Rom. IV et Gal. III laudata, Mosaica lege s quadringentis annis antiquiora, iteratum autem *ἐντολὰς ἐν δόγμασι* Mosaicas. Paulus igitur dicit, e ea notione, quam e capite Geneseos XV, XVIII, .II. de vero Dei cultu conceperit, impulsum et roboratum a lege Mosis descivisse, in quantum inam auctoritatem mentiatur, et hominibus omnium itium, ad bene beateque vivendum adspirantibus, um suum intentet, atque manifesto appareat, hanc em posteriorem, specifice ut ita loquar diversam, n divinis illis vocibus pugnare.

Alterum Hermanni erratum mea sententia hoc est, od Jesum a Paulo separatim *τὸ ἓν σπέρμα Ἀβραὰμ* i opinatur. Prudens apostolus loquitur ita: *τῷ*

σπέρματί σε, ὅς ἐςι χριςός, idque per synecdochen ita ut solus intelligi nequeat, sed cum suis omnibus

Quid quod tota ecclesia, cujus caput est, Christu appellatur Cor. 1, 1: 13. 12: 12. Col. 3: 11. Gal. 5: 6 Bene Augustinus: „Totus Christus *) caput e „corpus est; caput unigenitus Dei filius, et corpu „ejus ecclesia." Eadem est figura Gen. 18: 19. Abra amo, id est Abraamidis cum ipso gentis auctore. Lip pis ac tonsoribus notum est, Iacobum, Israëlem Iosephum, Davidem vocari quotquot ab iis nominat vel ducti sunt. Christus, ut specimen cunctorum a princeps universorum, qui semine Abraami continentur, instar omnium vocatur. Nihil frequentius etiam in ore vulgi quam pro toto corpore nominar caput, pro populo regem, pro exercitu ducem.

Haud omnino negamus, vocabulum σπέρμα interdum Hebraeos de singulis usurpasse, ex. c. de Setho Isaaco, sic tamen ut principem certae stirpis et quotquot ab eo oriundi essent intellectos velint συλληβδὴν, totam quandam gentem; non item singulos e Setho, Isaaco etc. prognatos. Aliud semen Eva Sethum dixit, quum occiso Abelo, fugitivo et ἠφανισμένῳ Caino, propagine qua gauderet orbata esset. Isaacus, ut μονογενὴς, sic semen Abraami vocatur ut primordium stirpis γνησίας. Ἀπὸ sive ἐκ σπέρματος Δαβὶδ Iesum dicunt sacri scriptores, ἐκ σπέρματος Ἀβραὰμ sese Paulus praedicat; Abraami vero semen

*) Imperite Winerus: Ex allegorica disputatione Cor. 1, 12: 12. probari non potest, vocabulo ὁ Χριςὸς coetum Christianum significari. Non est ibi allegoria, sed comparatio justa, quae nihil officit, quo minus ubivis ea significatione hoc vocabulum accipere liceat, et quodvis aliud principis, auctoris, magistri.

ique multitudinis attributum est, Luc. 1: 5. Io. 33. Act. 3: 25. 7: 5, 6. 13: 23. Rom. 4: 13—18. 7. Cor. 2, 11: 22. Gal. 3: 29. Hebr. 2: 16. Praecatum omnino *σπέρμα Ἀ.* multorum commune esse otest, non item subjecti locum tenens unum aliquem ngulariter et unice insignire. Ex. c. quum Paulus cit: *σπέρμα Ἀβραάμ εἰσι· κἀγώ*, dicit se quoque num aliquem de genere Abraami esse; non privo re sibimet soli hoc attributum vindicat. Perinde ut ὰρξ attributum esse potest, ex. c. *αὐτὸς σὰρξ ὢν ατηρεῖ μῆνιν*, subjectum non item, ubi de singulis el aliquot hominibus sermo est, ut Ps. 56: 4. *ȣ φοηθήσομαι, τί ποιήσει μοι σὰρξ*, hoc est: quotcunque et ualescunque mortalium, cuncti mortales, non hic vel le homo. Iam vero non ea mente Hermannus videtur, t quod Paulus dicit: *τῷ σπέρματί σȣ, ὅς ἐςι χριςὸς*, ntum sibi velit: tuo semini, quo vocabulo Christus, t genere suo singuli, comprehenditur. Probe scimus, ermannum e Graeca et Latina litteratura copiam osse exemplornm colligere, ubi hoc vocabulum de ngulis usurpatum invenitur, apud Ovidium caelestia semina, Romulus et Remus, apud Horatium larus Anchisae Venerisque sanguis, apud uripidem: *κἀγὼ Κύπριδος αἷμα.* Similiter huic vocabulo ynonyma genus, progenies, proles, propago, stirps, boles. At vero si non possunt haec omnia ad sermonis Hellenistici, quam dedimus, normam revocari: ec Hermanno usum aliquem loquendi Graecum Latiumque quidem illum, sed nullius exempli apud Hellenistas et Hebraeos, hoc loco Paulum sibi permisisse equaquam probabile videbitur.

Iam vero, ut a nudis vocabulis nos convertamus d notiones ac sententias: meminisse refert, populum

Israëlem Exod. 4: 22. (confer. Mos. 5, 1: 31. 8: 5. Jer. 31: 9, 20. Hos. 11: 1. Sir. 36: 14.) *υἱὸν πρωτότοκον τȣ̃ Κυρίȣ* vocari, Exod. 19: 5, 6. *βασιλεῖον ἱεράτευμα καὶ ἔθνος ἅγιον, περιȣ́σιον ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν*, qui populus ad omnes alios perinde se habeat, sicut principes reipublicae, divinarum rerum interpretes, sacrorum procuratores ac vitae morumque magistri ad plebem; quare Israëlitae generatim Deuter. 14: 1. Jes. 63: 8. *υἱοὶ κυρίȣ τȣ̃ θεȣ̃*, Dan. 7: 18, 21. *ἅγιοι τȣ̃ ὑψίςȣ*, Chr. 1, 16: 22. *χριςοὶ τȣ̃ Κυρίȣ* vocantur, *λαὸς χριςὸς* Hab. 3: 13, *) *παῖς τȣ̃ Κυρίȣ, σπέρμα Ἀβραὰμ* Jes. 41: 8, 9. 44: 1, 21. 45: 4. 48: 20. Vid. Gesen. commentarius in cap. LIII Jesajae!

Haec igitur totius populis *προςαγορεύματα* in ejus caput, in justum et regem et sacerdotem, praecipue conferebantur, ut qui personam *τȣ̃ λαȣ̃ πρωτοτόκȣ, χριςȣ̃* gereret, hoc ipso quod cives omnes *ἅγιοι, χριςοὶ* essent, quos princeps dignitate et sanctitate praeire debebat.

Jam vero apostoli, quotquot hominum suo magistro in disciplinam se tradiderant, fidemque Abraami, quam ipse praeceptis exemplisque instauravit, colere coeperant, eos revera pronuntiabant esse *τὸ σπέρμα Ἀβραὰμ, τὸν Ἰσραὴλ τȣ̃ θεȣ̃*, etsi non *κατὰ σάρκα* (Gal. 3: 29. 6: 16), eos demum *γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον* (Pet. 1, 2: 9), *βασιλέας καὶ ἱερέας* (Apoc. 1: 6). Atque Paulus Cor. 2, 1: 21. ait: *Ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς χριςὸν καὶ χρίσας ἡμᾶς θεός.* Idemque: *ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ πρὸ καταβολῆς κόσμȣ — ἡμᾶς συνεζωοποίησε τῷ χριςῷ καὶ συνήγειρε καὶ συνεκάθισεν ἐν ἐπȣρανίοις.* Eph. 1: 4.

---

*) Vid. Dathe ad h. l.

2: 5, 6. Nihil denique est gloriosum, nihil beatum, quin sequentes ipsum cum Christo communicent, ut ἐξ ἑνὸς ὄντες, ἀδελφοὶ αὐτȣ̃, ὑιοὶ θεȣ̃. Hebr. 2: 10, 11.

Constat, sese Judaeos Abraami semen jactasse Jes. 41: 8. Jer. 33: 26. Ps. 105: 6. Chr. 2, 20: 7. Tob. 6: 23. Sir. 44: 24. Macc. 1, 12: 22. Matth. 3: 9. Jo. 8: 33, 39. Quidnam vero causae putemus, cur hoc dogma nusquam Judaei constituerint, ὅτι ὁ χριςὸς ὑιός ἐςιν Ἀβραάμ, sed illud: ὅτι ὑιὸς Δαβίδ? In promtu est respondere: Per se ipsum intelligebatur prius, et consequens erat quum oraculi illius a Mose editi, post ipsum prophetam Israëlitis excitatum iri e fratribus eorum, tum aliorum, ut quod Nathan fuderat ceterique vates domui Davidis addicti et regno Judae faventes, Christum proditurum esse e semine Davidis, ipsorum contribulem. Sed vehementer displicuit talis genere Christus τοῖς δεκαφύλοις, qui angustiori sensu Israelitae dicebantur, domum Davidis semel perosi, Josephitae (Reg. 1, 12: 16), atque hunc summum honorem vindicarunt Josepho, נזיר אחיו, cujus in verticem favorem omnipotentis praecipuum et Jacobus et Moses deprecati essent. Mos. 1, 49: 26. 5, 33: 16. Utrumvis pro hominum votis, ad quos loquebantur, apostoli facile concedebant, licet Paulus libere quondam elocutus fuerit, μὴ γινώσκειν χριςὸν κατὰ σάρκα, sese nullam generis ac stirpis rationem habere in agnoscendo Christo, magistri sensum intime assecutus, qui nunquam nec Davidis filium, de tribu Juda, nec Josephitam, nec Israëlis vel Abraami prolem sese praedicavit, sed simpliciter ὑιὸν ἀνθρώπȣ. *)

*) Hoc epitheton ex mente Jesu ipsius quid in se habeat, mea sententia unice Wetstenius ad Jo. 5: 27. intellexit:

Zacchäum autem υἱὸν Ἀβραὰμ Luc. 19: 9. appellavit propter animi integritatem, quales Abraamidae Matth. 3: 9. intelliguntur, non κατὰ σάρκα.

Ex his notionibus opinor manifesto patet, quam maxime supervacaneum fuisse docere, Jesum Nazarenum esse semen Abraami, id est, unum aliquem de posteris ejus; ab sensu autem communi, ad quos scribebat Paulus, alienissimum, vulgoque tam incredibile, ut nulla dicendi facultate nullaque auctoritate probabile reddi posset: unum esse numero semen Abraami, quod sacra volumina innumerabile fore praedixerunt, eaque ratione unum, ut εἷς τις ἀνθρώπων existere potuerit omnis proles Abraami, Jesus Nazarenus. Illud vero nihil attinebat memorare; sed e re apostoli erat inprimis probare, non semen Abraami physicum vel circumcisione adscitum, hoc est Judaeos et proselytos, promissum ejus fidei praemium adepturos esse,

---

„qui sensum humanitatis habet atque in omnibus „tentatus est ipse. Hebr. 2: 17. 4: 15, 16. 5: 1, 2." Qui, ut hominem decet, humani nihil ab se alienum putat, καὶ τῶν ἀνθρώπων προςλαμβάνεται, non τῶν Ἰσραηλιτῶν sive Ἰουδαίων, ut Moses, Israelita, ut ille Christus, filius Davidis, quem in votis habebant Judaei. Tali tantum τὴν κρίσιν πᾶσαν, ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς committere Deus potuit, quippe uni omnium aequissimo. Hinc ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος praedicatur, in quo nullus paterni maternive sanguinis respectus, nullus stirpis aut gentis fuerit. Id contra Tholuccius ad Jo. 5: 27. „Hanc potestatem Christus habet non ut homo, sed ut Messias." Hinc idem ad Tim. 1, 2: 5. annotare debebit: „Hoc mediatoris munus Christus habet, non ut homo, sed ut Messias." Nam τὴν κρίσιν πᾶσαν ἔχειν et ἕνα μεσίτην εἶναι Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων in idem recidunt. — In eo quidem convenit nobis cum Tholuccio, Jesum non, ut ψιλὸν ἄνθρωπον, sed ut τὸν ἔσχατον ἄνθρωπον, quem Origenes dicit hominem hominem, Cicero ultimae perfectaeque naturae, sese υἱὸν ἀνθρώπου vocare.

sed semen morale, id est quicunque Abraami probitatem ex fide, priusquam circumcisus esset, ab eo impetratam imitentur; ad *ἓν σπέρμα τῦτο* spectare illam *διαθήκην*, quam Deus inierit cum Abraamo; hoc esse *χριςὸν*, ecclesiam Dei, quam acquisierit sanguine *τῦ ἰδίυ ὑιῦ*, corpus cum capite, cum capite corpus, ut vernacule loquar, die Christenheit.— Apud Jesajam 41: 9. Deus Israëlem, famulum suum, Jacobum, quem selegerit, vocat semen Abraami, sui amici. Quidnam ergo magis consentaneum, quam quos Gal. 6: 16. salutat Paulus Israëlem Dei, pro semine Abraami ab eodem haberi? Quid quod Paulum faciunt sibimet ipsi manifesto contra dicentem, qui volunt ab eo Jesum 3: 16 singulariter dici Abraami semen, qui octo versibus supra dixerat: *ὅτι ὅσοι ἐκ πίςεως, ὗτοί εἰσιν ὑιοὶ Ἀβραάμ.* Cfr. v. 29.

Quin audemus mentem nostram penitus expromere. Nomen Christi non est *ἱςορικόν τι* origine, sed *νοητόν.* Dudum cogitarant, informarant mentibus et ore scriptoque divinarant pro suo quisque modulo ingeniosi Hebraei, quale aliquando foret illud semen Abraami, quod omnes hominum gentes olim sibi congratulaturae essent; haud secus ac philosophorum Graecorum sententiis, qualis futurus esset, si modo aliquando fuisset, ille vir exponebatur, in quo perfecta sapientia foret, sive ea ratio, quae foret in eo perfecta atque absoluta. Vid. Cic. Tusc. 2: 22. coll. Cor. 1, 1: 22, 24, 30. Nam, ut Plato (epist 7) censuit, *ὀ λήξυσι κακῶν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφύντων ὀρθῶς καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς, ἢ τὸ τῶν δυναςευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν ἔκ τινος θείας μοίρας ὄντως φιλοσοφήσῃ.* Tum denique fore beatas res publicas (*ἠυλογημένα*

πάντα τὰ ἔϑνη) putavit, si aut docti ac sapientes homines eas regere coepissent, aut ii qui regerent omne suum studium in doctrina ac sapientia collocarent. Hanc conjunctionem videlicet potestatis ac sapientiae saluti censuit civitatibus esse posse. Cic. ad Qu. Fr. 1, 1: 10. Species ergo illa Christi, per quem τὰ ἀνϑρώπινα γένη malis cessatura essent beataque forent, veraque σωτῆρος κόσμȣ notio continetur conjunctione δυνάμεως καὶ σοφίας ϑεȣ͂, ut Paulus Cor. 1, 1: 24. censet, ἔκ τινος ϑείας μοίρας, ut Plato. Sed illum adhuc neminem viderant in rerum natura non magis Judaei, in quo sua inesset species Christi, quam Graeci, in quo perfectam sapientiam suis animis conceptam praesentem haberent. Tum demum, quum Jesus in lucem prodiit, apostoli speciem σωτῆρος κόσμȣ pridem conceptam in suo magistro non adumbratam, sed infinitis modis exuperatam cognoscebant sibique per suos ipsorum sensus veritatem ejus persuasam tenebant.

At vero reputemus paululum, quid profecisset ipsa sapientia, quid χάρις καὶ ἀλήϑεια, praesens data in Jesu, si non hominibus oblata esset oculatis ad eam cernendam, appetentibus lucis, ἐκ τῆς ἀληϑείας ȣ̓͂σιν, τέκνοις σοφίας. Nam in ejusmodi homines tantum cadebat ipsum talem agnoscere qualis esset, τὴν δόξαν αὐτȣ͂ κατοπτριζομένȣς τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφȣ͂σϑαι, συμμόρφȣς γίνεσϑαι τῆς εἰκόνος τȣ͂ ϑεȣ͂, τȣ͂ ὑιȣ͂ αὐτȣ͂, ἐκ τȣ͂ πληρώματος αὐτȣ͂ λαμβάνειν χάριν ἀντὶ χάριτος, et quod gratis acceperant, communicare gratis cum multis, itaque Christum multiplicatum et propagatum *) reddere. Annon his ademtis Christus

*) Hoc Jesus ipse pulcherrima illa comparatione cum τῷ κόκκῳ τȣ͂ σίτȣ significat, quod si solum maneret, nihil

ipse fuerit ademtus? an sublato corpore solus Jesus caput?

Eam ergo Christi notionem quum Paulus teneret, per quam nomen proprium Jesu et Christus non unum idemque sonant, ita ut inter se permutari ubivis queant sententia salva (nam Christus attributum est Jesu, προςαγόρευμα, non ὄνομα. Jesum Deus Χριςὸν ἐποίησε (Act. 2: 36), sicut Aaron ἱερεὺς factus est, κληρονόμον τῦ κόσμυ ἔθηκε (Hebr. 1: 2. Rom. 4: 13); Jesus non ἐκ γενετῆς fuit Christus, sed quod infans, puer τελειύμενος, μανθάνων nondum fuerat, τελειωθεὶς ἐγένετο — ἀρχιερεὺς, αἴτιος σωτηρίας αἰωνίυ (Hebr. 5: 8, 9. coll. 2: 10, 17): hinc suo jure apostolus τὺς ἐνδυσαμένυς τὸν Χριςὸν, τὺς ἐν Χριςῷ, πάντας, ἐν οἷς Χριςὸς, appellavit Χριςὸν per synecdochen vel quasi collectivo nomine. Vid. Glass. Philol. S. pag. 55 et sq. quem librum haud pudet hodieque laudare, Wineri industria nondum prorsus extenuatum. Licet plerumque, Christum dum dixit Paulus κατ᾽ ἐξοχὴν Jesum

---

fere profuturum esset; sin autem humo mandatum consimilium copiam e sua sepultura ediderit itaque multiplicatum fuerit, perutile fore. Hic autem (Jo. 12: 24) non σπέρμα se facit, non τὸν σῖτον universum, sed κόκκον σίτυ. — Justinus (Apol. 2: 10): Σωκράτει μὲν ὐδεὶς ἐπιςεύθη (rescribere lubet ἐπείσθη), ὑπὲρ τύτυ τῦ δόγματος (unum esse Deum, parentem et opificem universitatis) ἀποθνήσκειν. Χριςῷ δὲ — ὐ φιλόσοφοι ὐδὲ φιλολόγοι μόνον ἐπείσθησαν, ἀλλὰ καὶ χειροτέχναι καὶ παντελῶς ἰδιῶται, καὶ δόξης καὶ φόβυ καὶ θανάτυ καταφρονήσαντες. Nam, quod Justinus parum consideravit, τὸ πλήρωμα τῦ χρόνυ nondum venerat (Gal. 4: 4); Jesu demum tempore veritas divinitatis maturuerat, ut Minucius dicit. Sic Hussum, Wiclefum, Waldum contemnere periniquum foret, quibus uno vel aliquot seculis ante non successisset quod Luthero.

Christum intellectum velit, generis principem. Etenim, si ὅ τε ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες, τέκνα Θεῦ πάντες, iidemque propter mentis ac morum similitudinem liberi Abraami; si frater horum ille: non potest Jesus praeclusis ceteris haberi σπέρμα Ἀβραάμ. Quid quod Christus σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλάβεσθαι dicitur? Ergo ipse ad hoc semen se habet, sicut pars quantumvis capitalis ad totum; non autem Jesus unus et solus totum hoc semen esse videtur.

Jam, quibus est judicium, judicent, quam vere Winerus censeat, semen Abraami illud unum numero Christum esse, quia unus fuerit auctor τῆς πίςεως atque adeo τῆς κληρονομίας! Quid ergo de Abraamo dicendum erit, qui certe fidem imitandam coluit ante semen suum? Quid de Deo? annon ὁ ἐπαγγειλάμενος est auctor τῆς κληρονομίας? annon Deus ἔμελλε ἐν τῷ σπέρματι Ἀβραὰμ εὐλογῆσαι πάντα τὰ ἔθνη?

Winerum novimus Hermanni praeopinatorem, ut ita loquamur, in utraque, quam hactenus confutavimus, παρερμηνείᾳ, nec admirari satis possumus, quod Hermannus hunc vestigiis consequi maluerit quam Aug. Ernestium, cujus in honorem hoc ipsum programma scripsit, ac Doederlini, Noesselti, aliorum Winero superiorum. Hinc ab suspicione, quae etiam Grulicho incidit, vix temperare mihi possum, quin Hermannus hoc in programmate ludat, commenta celebratissimi nunc ἐφ' ἡμέραν quidem magistri in Grammaticis N. T. tamquam indubitata suscipiens atque eo usque profligans, quoad appareat, ejus merito Paulum misere argutulum, ridicule ineptum, secum prorsus discrepantem, κενόφωνον reddi.

Operae pretium est Ernestium, quem hodie

multi eruditorum nomine tenus nosse videntur, audire, ut hoc de loco disseruerit: „Praecipua diffi-„cultas in vocabulo σπέρμα deprehenditur, quem vulgus „commentatorum Christum esse volunt, occasione „capta e verbis: ὅς ἐςι Χριςός. Saepe nos mirati „sumus, quod parum intelligebant, Paulum id agere, „ut ostendat, Christianos ἐκ ἀκροβυςίας non deterioris „juris esse quam τὺς ἐκ περιτομῆς, utrosque promis-„sionis Abraamo factae pariter et aequaliter participes „esse: id quod commate proxime antecedente satis „elucet. Minime hoc tantum docere volebat, Mes-„siam promissum esse eumque e semine Abraami. „Nec vero in Messiam expetere potest promissio „Abraamo facta et semini ejus. Quae verba hoc „sonent, necesse est: Tibi Abraamo ac tuae progeniei, „nempe iis qui ad Christum sese adplicant atque in „unum corpus congrediuntur, cujus caput Jesus, in-„staurator fidei olim ab Abraamo cultae. Hoc idem „manifestum est ex eo quod ultimo capite in hunc modum „finitur disputatio: Vos ergo, ut supra (v. 15) dixi, „quamvis ἐκ φύσεως ἀκρόβυςοι estis et ἄνομοι habemini „a Judaeis, vos omnino estis ea progenies Abraami, „quae ηὐλογήθη σὺν τῷ πιςῷ Ἀβραάμ, quoniam estis „ἐκ πίςεως.“

Probrum inferunt, ut dicam quod res est, nostro seculo, qui quod plus decem lustris abhinc Ernestius tam solidis argumentis ad liquidum perduxit, hodie tam futilibus objectionibus conturbare conantur, falso putantes, in solis verborum aucupiis omnia esse. Ernestius contra et quicunque sapiunt in litteris ante omnia curant rerum notiones ac sententias universas indagare; quorum potentibus nonnisi datum est etiam verborum dictorumque congruentiam grammaticam

rectamque rationem perspicere; ceteri, grammatici meri ac toti, identidem errant, labuntur, peccant.

„Apertum est, ita pergit Hermannus, non satis „esse, si legi nihil communionis sit cum testamento „et hereditate, quae ex eo sit capienda. Relinquitur „enim ut quaeratur, quid tum sibi velit lex et quorsum „lata sit. Id igitur sibi objicit respondetque ita, ut „salva quam modo posuerat demonstratione non modo „non inutilem fuisse legem, sed etiam sapientissimo „consilio latam ostendat. Quod facit his verbis: *Τί* „*οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη κ. τ. λ.* „Datam esse legem ait peccatorum coercendorum causa, ut interim valeret, donec illud semen „Abraami exoreretur, in quo expeteret illa Abraamo „data promissio."

Hic rursus complura nostram intercludunt assensionem. Ambigimus primum, Hermannus Winerum insectetur an consectetur, eandem lectionem optans Winerique versionem ad verbum repetens. Sic enim est in epistola ad Gal. a Winero illustrata primae editionis: „Quorsum igitur lex data est? Peccatorum coercendorum causa accessit."

In eo quidem dormitasse nobis videtur bonus Hermannus, quod Lachmanni recensionem, sicut Pontificii Vulgatum, coeca fide sectatur, quaestione critica nimirum supersedens, quasi nihil fere *πρὸς ἔπος* esse varietas lectionis hic videatur. Ubi orientales quidem N. T. codices alteri lectioni suffragantur, occidentales alteri cum omnibus patribus antiquioribus et orientalibus et occidentalibus, nihil inquirere, utra lectio ingenio, menti et consilio scriptoris consentanea sit, sed per aestimationem Orientalium Cdd. superstitiosam hanc illi praeoptare, non ita dignum, fateor, Hermannis

putamus. Equidem Griesbachium adhuc neque a Lachmannis neque a Scholziis obscuratum arbitror, mecumque sentit Aurelius noster, qui hoc aevo unus de principibus philologiae profanae Criticen N. T. decem per annos postremos pro sua solertia et subtilitate in patrio Gymnasio professus est.

Hoc autem supra modum miramur, qua tandem ratione Hermannus Winero adsentiri potuerit, *παραβάσεων χάριν* sic vertenti: „peccatorum coercendorum causa.“ Vapulaverim certe ab Hermanno, si verbi causa apud Aelianum V. H. 1: 13. hoc: *Ἐπετίθεντο τῷ Σωκράτει — οἱ ἀμφὶ τὸν Ἄνυτον· ὧν χάριν, λέλεκται πάλαι*, sic reddidissem: Socrates infestum habebat Anytum. Quorum (Critiae et triginta virum) coercendorum causa, dictum est olim; vel ibid. 4: 13. *Ὁ Ἱπποκράτης τοῦ Δημοκρίτου χάριν τῇ ἰάδι φωνῇ συνέγραψε τὰ συγγράμματα*, Democriti coercendi causa; vel apud Herodian. 5, 3: 17. *εἰς τὸν νεὼν ἰόντες θρησκείας δὴ χάριν*, religionis nimirum coercendae causa.

Verum enim vero ipsum Hermannum audiens, e cujus doctrina me multum profecisse ad subtiliorem etiam N. T. interpretationem cum grata mente fateor, dudum magis magisque cavebam, ut non haec talia peccarem, quae commentatoribus N. T. gregariis ac vulgo theologorum viginti annis abhinc merito exprobravit in suis ad Vigerum annotationibus n. 419. hunc in modum: „Tristissima profecto sors obtigit scrip„toribus sacris, quorum si audiendi sunt interpretes, „nihil inveniri tam absurdum sanaeque rationi contra„rium poterit, quod non, si apud hos scriptores repe„riatur, recte, imo eleganter dictum sit. Quare diligenter „caveant tirones, ne putent viros divino spiritu ad-

„flatos mortalium sprevisse sermonem, sed meminerint potius, illam interpretandi rationem, „qua nonnulli theologorum utuntur, nihil „esse nisi blasphemiam. Documento sunt lexica „N. Testamenti, ex quibus ἀπὸ ad, ἐξ in, εἰς ex“ (addimus: χάριν, damno, impedimento, obstaculo) „significare, denique omnium quae fieri nequeunt nihil non factum esse discas. Nempe, quoniam religio *) miraculis carere non potest, sublatis „miraculis in eorum locum portenta suffecta sunt.“

Non ex lexicis, quae per se nulla mihi sunt auctoritate, sed ipso Graecorum voluminum usu per inductionem didicimus, χάριν praepositionis vice dum fungatur intellectum habere gratiae aut faciendae aut reddendae; emolumentum ergo, adjumentum, opportunitatem significare, quae in personam aut rem, cujus nomen voce χάριν regitur, conferatur, ut Luc. 7: 47. οὗ χάριν, cujus officii, quod mulier mihi praestitit, ut referatur gratia. Eph. 3: 1. Hujus operis ad emolumentum, ut ecclesia Dei, cujus magister Christus, etiam per gentes differatur atque

*) Quid Hermanno differat religionem inter ac pietatem (εὐσέβειαν), ex hoc programmate discere licet; quid miracula inter ac portenta (τέρατα, quae per naturam rerum fieri nequeunt), facile ex hoc ipso loco est conjectare. Portentum philologicum ex. c. est illud ἐπὶ τῆς θαλάσσης, quod apud evangelistas pro ἐν τῇ θ. positum volebant, ut miraculum ambulandi in lacu profundo extruderetur. Profana autem philologia et sacra contestantur, τὸ ἐπὶ θαλάσσης περιπατεῖν, ejus esse, qui solida in terra ambulet ad lacum eo quidem consilio, ut conscenso navigio trajiciat: id quod Jesum in animo habuisse ac discipulos expectasse, dum per lucem ac tempestatem licuit, e Marc. 6: 45. Jo. 6: 17 — 19. novimus.

in infinitum amplificetur. Similiter 3: 14. Tit. 1: 5. ad hujus rei profectum. Ibid. 1: 11. *κέρδους χάριν*, Jud. 16. *ὠφελείας*, lucri (faciendi, non prohibendi) studio; utilitatis (obtinendae) causa. Tim. 1, 5: 14. *λοιδορίας χάριν*, ut opportunitas captetur convitiandi. Ubinam quaeso litterarum sub *χάριν* coercendi, propulsandi, comprimendi, elidendi notionem latere cernitur?

Quin Paulum audimus, optimum ipsum sui interpretem R. 5: 20. *Νόμος παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*, idem quod Gal. 3: 19. concisius ita: *παραβάσεων χάριν*, hoc est: *ἵνα πλεονάσωσιν αἱ παραβάσεις*.

Vetustum omnino errorem Patrum deserere vel recentissimis quibusdam commentatoribus evangelicae confessionis religio est, quod quidem condonari possit Romano-Catholicis. Nam Chrysostomus *) *παραβάσεων χάριν* contra patriae suae linguae naturam detorsit hunc in modum: „ne liceret Judaeis vivere „securis atque in extremam prolabi nequitiam; sed „lex illis pro freno imposita foret, erudiens, com„ponens prohibensque transgredi, si minus „omnia, aliquot certe praecepta. Itaque non me„diocris fuit ex lege fructus." Et Scholiasta, quem Matthaei edidit: *ὥς τε κἂν ὀλίγας πλημμελείας κωλύσῃ*. Sed qui tandem factum est, ut Judaei ceteris gentibus nihilo meliores, imo suae

*) Chrysostomus nimirum patribus Alexandrinis ac Presbyterianis, quorum principales magistros Tertullianus adv. Valent. 5. recenset, deceptus, ubicunque Paulus legis Mosaicae vanitatem perstringit, vim et sententiam dictorum utcunque diluit vel pervertit, ut ne quid detrimenti divina auctoritas Mosis capiat.

legis, ut ita loquar, medicamento pejores fuerint, ab hominum generis communitate disjunctiores, alienigenarum odio infectiores ac propter hoc ipsum aversiores a veritate Dei, ab illa gratia universis hominibus salutari? Ephes. 2: 15. Thess. 1, 2: 15, 16. etc. Haec res in nostro libro, quem inscripsimus angelorum mundum, legem, cultum copiosissime pertractata est.

Ceterum hoc unum de multis exemplum est, quantum valeant opinionum commenta, per quae Patres etiam Graeci nativo suo sermoni vim fecerint ac perversam vocibus significationem affinxerint: id quod, si quemquam alium, non fugere debebat Hermannum.

Paulo infra idem: „Elevat apostolus auctoritatem „legis eo, quod eam non quemadmodum promissionem „illam, quam Abraamus accepit, ab ipso Deo datam, „sed dispositam per angelos et interventori in manus „traditam peccatorum causa promissioni illi adjectam „dicit.„

Haud speraverim Ernestium aliquem connivere nobis, *ὁ νόμος διαταγεὶς δἰ ἀγγέλων*, sic reddentibus: lex disposita per angelos. Nos quidem non meminimus audire de disponendis legibus. Digerendo juri, quod dudnm inventum constitutumque erat, operam dedisse scimus, ut interpretando, juris consultos; unde illa digesta; verumtamen, opinor, animum induxerit nemo, ut crederet angelos Tribonianorum partes ex monte Horebo transegisse. Probe quidem novimus, Vulgatum in Psalmis hanc locutionem disponere testamentum iterum ac tertio usurpare 83: 5. 89: 4. 105: 9, ubi כרת ברית auctores Hebraei, LXX *διατιθέναι νόμον*. Item Macc. 1, 1: 12.

Sir. 19: 20, ubi graece *ποίησις νόμου*, apud Vulg. dispositio legis. — חקות reddit Symm. *διατάξεις*, *) חקק LXX *διατάσσειν* Jud. 5: 6. Item השים Ezech. 21: 19, 20. Alibi *ἱστάναι*, *ἀνιστάναι*, *τίθεσθαι*, ferire, percutere, pangere, inire, facere. Melius aliquanto lex ordinata apud Vulgatum, quam disposita.

Ad hanc locutionem inprimis meminisse oportet, quod Fischerus de usu verborum compositorum (Proluss. de vitiis Lex. N. T.) animadvertit: „verba id genus, maxime vero e praepositionibus *ἀνὰ*, *ἀπὸ*, *διὰ*, *ἐκ*, *ἐν*, *κατὰ*, *πρὸς* composita, saepenumero partes verborum simplicium agere." Quamquam sentiamus, in locutione *διατάσσειν νόμον*, quemadmodum in vocabulo *διαθήκη*, duas innui partes (nam, sicut latina particula dis, graeca *διὰ* ad non unum rem pertinere indicat; in omnibus autem pactis conventis, promissis, foederibus, legibus mutua exigitur voluntas et fides, mutuus usus): verumtamen potius rei perfectionem significari atque vim verbi augeri putamus. Hoc autem probe attendendum est, verba *διατιθέναι*, *διατάσσειν* nusquam internuntium ministrumque aut intercessorem sive interventorem subjectum habere, ita ut angelos existimare liceat *νόμον διατάξασθαι δοθέντα παρὰ τοῦ θεοῦ*; sed qui *διατάξαντο*, iidem sunt *νομοθέται*, legis latores et auctores Quum ergo Paulus *τὸν νόμον* dicit *διαταγέντα δι' ἀγγέλων*, hanc legem ortu censet angelicam esse, non divinam.

Ignoscat Hermannus, si nos in obscura interpretatione non acquiescimus, et quae parum liquida, ut satis bene edisserat, curiosius postulemus. Hanc legem quam per angelos dispositam dicit, quisnam

---

*) Confer. Act. 7: 53.

dedit sive dispositam, sive indispositam? Deus angeline? Si deus: divina lex est ac divinae auctoritatis, hoc est summae, infinitae, aeternae. Num ipse dederit, an per alios Deus, nihil refert. Immo, si res ea fuerit, ut angelis opus esset opem ferentibus (Winerus certe ait legem latam esse angelorum ope), *) quod impares homines fuissent vocem ipsius Dei legislatoris exaudiendo ejusque conspicuam tolerando praesentiam: tanto gravior, augustior, sacrosanctior videtur. Sin autem Deus nec ipse nec per alios auctor fuit, sed sua sponte angeli; si homines angelorum munere acceperunt leges: tum istarum legum auctoritas ad legis divinae non levior modo, sed nulla omnino cernitur; nec dicere fas est, angelicam

---

*) Eam praepositio *διὰ* tenet potestatem (vid. Fischer. ad Veller. 3. b. p. 170), ut meritoria causa simul sit efficiens, ubicunque hanc non alio nomine expressam reperias. Vid. Schulthess, Engelwelt ad h. l. Fuerunt ante Chrysostomum Graeci, qui h. l. *διὰ ἰσοδυναμεῖν* cum *ὑπὸ* putabant, sine dubio Gnostici. Hos ut eluderent Catholici, vim praepositionis *διὰ* meritoriam, et quae involvitur, effectivam in ministerialem, contra sermonis Graeci profectò ingenium, permutasse videntur. Meritum profecto in causam effectivam cadit principalem. Conferatur Act. 7: 53. *Οἵτινες ἐλάβετε τὸν νόμον (ὑμῶν) εἰς διαταγὰς ἀγγέλων καὶ οὐκ ἐφυλάξατε.* Ubi *εἰς*, ל, accusativi nota est praedicatum indicantis (sicut apud Germanos einen zum König machen, Latini: aliquem facere regem), *διαταγαὶ* autem חקות sunt, constituta, sicut, Rom. 13: 2. — *Ὁ νόμος*, igitur *διαταγεὶς δι' ἀγγέλων* i. q. *ὁ νόμος, ὃν οἱ Ἰουδαῖοι ἔλαβον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων*, quem ab angelis constitutam habebant; nisi forte Hermannus arbitretur, a Luthero rectissime expressum esse hunc locum, qui vertit ita: Ihr habet das Gesetz empfangen durch der Engel Geschäfte. Vulg. in dispositione; bene Augustinus in edictis angelorum. De Civit. D. 10: 15.

legem adjectam esse τῇ διαθήκῃ τȢ θεȢ: non magis enim angelica, quam humana divinis fas est προςεῖναι, componi.

Si προςθήκης indiga fuit ἡ διαθήκη, quid est quod haec tribus seculis antiquior illa accessione tamdiu facile caruerit? Lex autem promissioni adjecta profecto ad eosdem pertinet, ad quos promissio. Minime igitur iis orientibus ea lex obsolescet. Praeter mentem ergo et sententiam Pauli tam legis quam promissionis vis ac potestas illud semen Abraami usque teneret. Unde apparet ut lex nimirum angelica τῇ ἐπαγγελίᾳ τȢ θεȢ adjecta dictu tam absurda sit quam tenebrae noctis diei luci affusae. Sic falsitas lectionis προςετέθη manu quasi prehenditur. Alia omnia docet Paulus, quum Rom. 5: 20. scribit: παρεισῆλθεν ὁ νόμος, sicut gramen cum spinis habet ager, interea dum semen deficit bonum; subdole obrepsit hominibus, quibus δικαιοσύνην ex sua virtute vitamque mendax promisit vitalem, misere deceptis, ita ut δικαιοσύνη ἐκ πίςεως, ἀγαθὴ συνείδησις καὶ εἰρήνη πρὸς τὸν θεὸν, ipsaque illa ἐπαγγελία ex his nonnisi radicibus nascens legis vanitate interciperetur.

Sin angeli legis auctores: jam oboritur alia quaestio; Cujus generis angeli, boni an mali? In quo probe animadvertendum est, vocabulum ἀγγέλων h. l. nude positum esse, non ἀγγέλων τȢ θεȢ. Angeli autem, ubi nullam distinctionem additam habent, in literis apostolorum plerumque mali sunt R. 8: 38. Cor. 1, 6: 3. 11: 10. Col. 2: 18. Pet. 1, 3: 22. 2, 2: 4, 11. Jud. v. 6, vel medii, ambigui Cor. 1, 4: 9. 13: 1. Hebr. 1: 4, 5. 2: 7, 9. 2: 16, ut liceat utrosque vel utrosvis intelligere. Vel adeo ille ἄγγελος ἐξ Ȣ̓ρανȢ, ex hoc coelo nimirum, citra lunam, humido

et caliginoso (Cic. Tusc. 1: 19.) tam malus haberi debet, quam fallax. Cfr. Eph. 2: 2. 6: 12.

Haec dispicere et explorare nulli possumus, vetustarum opinionum de angelis ignari, eaque ignorantia interpretes Pauli turpiter adhuc laborare videntur, licet, quae scitu opus sunt, colligendi copiam habeant e Patribus antiquissimis. Justinus enim (Apol. 2: 5, 9) tradit, angelos, quos Deus ὁ ὕψιϛος, opifex coelorum ac terrae, singulos singulis hominum gentibus praefecisset tamquam satrapas, defecisse ab eo, ut secundum suas ipsorum leges summum imperium gererent, populosque in oblivionem unius communis omnium Dei magicis artibus adduxisse, ut angelis parerent, non Deo, et inter homines caedes, bella, adulteria, flagitia et omnem nequitiam sevisse. *Νόμȣς*, inquit, *διατάξασθαι τῇ ἑαυτῶν κακίᾳ ὁμοίȣς* (*παραβάσεων* *) *χάριν*, ut Paulus ait) *τȣ̀ς ἀγγέλȣς ἐπιϛάμεθα, οἷς χαίρȣσιν οἱ ὅμοιοι γενόμενοι ἄνθρωποι.* Nam qualis rex, talis grex. Tatianus adv. Graecos 28. *Μίαν*, inquit, *ἔχρην εἶναι καὶ κοινὴν ἁπάντων τὴν πολίτειαν· νυνὶ δὲ ὅσα γένη πόλεων, τοσαῦται καὶ τῶν νόμων θέσεις καὶ θρησκείαι*, eaque discidia iisdem auctoribus imputat, quibus Justinus, angelis, daemonibus. Hic autem ita pergit: *Καὶ ὀρθὸς λόγος παρελθὼν ȣ̓ πάσας δόξας ȣ̓δὲ πάντα δόγματα καλὰ ἀποδείκνυσι, ἀλλὰ τὰ μὲν φαῦλα, τὰ δὲ ἀγαθά.* — Legem ergo Dei, quae una est universorum hominum communis, tam late patens quam eorum vita et societas, *τὴν ȣ̓̃σαν ἀπ᾽ ἀρχῆς*, aeternam, cum legibus popularibus, temporariis, *καταργȣμένοις*,

---

*) Curiositas enim in legibus positivis servandis, τήρησις τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι (Eph. 2: 15) induxit homines, ut legis naturalis praecepta, τὴν κρίσιν καὶ τὸν ἔλεον καὶ τὴν πίϛιν missa facerent (Mt. 23: 23).

confundere, eidemque auctori et hujus generis legem, ut Mosaicam, et illam adscribere vehementer dedecet philosophos pariter ac theologos. Vid. Marc. 10: 5, 6. Matth. 19: 8. Quamcunque igitur legem ὀρθὸς λόγος κατήργησεν, ea non lex illa Dei fuit ἀρχαία, non τὸ ῥῆμα τȣ͂ θεȣ͂, τὸ μένον εἰς αἰῶνα, quo in custodiendo fides Abraami cernitur, sed inter leges angelorum referenda videtur. Opinionum commenta (angelica) delet dies, naturae judicia (τὰ τȣ͂ θεȣ͂) confirmat. *)

Jam vero ut inde locum propositum Pauli explanemus, ecce leges τῶν παραβάσεων χάριν positas, ad augendam et cumulandam nequitiam datas, easque imputandas angelis, id est imaginariis et commentitiis Diis vel hominibus, qui Deos istos finxerunt mentitique sunt! Quae leges quum inter se diversae et contrariae essent, communem humani generis societatem, ab immortali Deo constitutam, diremerunt miserosque mortales mutuis inimicitiis odiisque, quasi totidem μεσότοιχα, distraxerunt: nam quod Paulus de Mosaica lege judicat, de omnibus valet legibus positivis, quibus plus quam humana auctoritas tribuebatur. Haec igitur omnia quum praecipue in legem Mosaicam cadunt (Eph. 2: 14-17. Cor. 2, 3: 13-19): istam legem numero legum angelicarum, legi τȣ͂ θεȣ͂ ἑνὸς contrariarum, eximere non possumus, nec vero Paulus exemisse potest, si quidem sibimet constitit.

Nimis leviter interpretationem hujus loci difficillimi Hermannum, ut ita dicam, transcurrisse, ex hoc

---

*) Joannes in suo evangelio mythologia supersedens 1: 17. ὁ νόμος, inquit, διὰ Μωσέως ἐδόθη, non δι᾽ ἀγγέλων. Nec Jesus neque apostoli cum Pharisaeis affirmabant: ὅτι Μωσῆ λελάληκεν ὁ θεός, diserte negantes, Deum unquam conspectum esse Mosi Jo. 1: 18.

patet in primis, quod angelorum vocabulum intactum reliquit, quasi Paulus casu vel fortuitu δι᾽ ἀγγέλων scripserit pro διὰ τȣ̃ θεȣ̃ (Cfr. v. 17, 18, 19, 20), quasi non contrarii essent Deus et angeli, hi multi, ille unus, sicut ἀντίκεινται ἀλλήλοις primum ἡ κατάρα τȣ̃ νόμȣ et ἡ ἐπαγγελία τῆς διαθήκης (vs. 10-13, 17. et Eph. 2: 12.), deinde παραβάσεων χάριν et ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν, porro τό σπέρμα, ᾧ ἐπήγγελται, sive δι᾽ ἐπαγγελίας κεχάρισται τὴν κληρονομίαν ὁ θεὸς, τὸ κατὰ πνεῦμα, οἱ ἐκ πίϛεως, et σπέρμα ἕτερον, τὸ κατὰ σάρκα, ὑπὸ νόμον, tandem μεσίτης τῶν ἀγγέλων τῶν νομοθετȣ́ντων, qui multorum est, non est unius, et μεσίτης ἑνὸς τȣ̃ θεȣ̃. Unde efficitur, ut mediator hujus legis non sit divinus, atque lex ipsa non magis mediate quam immediate profecta sit a Deo, qui si unus non est, non est, ut sana ratione dictante Tertullianus judicat. Ex ipso argumento promissionis promissoris cernitur vis et natura: nam qui pollicitus erat Abraamo, fore ut semen ejus omnes gentes sibi congratularentur, nonnisi unus communis omnium gentium Deus esse poterat, σωτὴρ πάντων, non Deus gentis alicujus separatae, non Deus quidam popularis, non angelus.

Nemo sane vel acerrimorum orthodoxorum negaverit, a Paulo secundum Jesum tam severe castigatam et expurgatam esse Mosaicam legem, ut nihil reliquum faceret, nisi illud Matth. 7: 12. *). Quod, si verum quaerimus, non magis Mosi quam Minoi aut Soloni acceptum referri debet, sed omnibus legislato-

*) Οὗτός ἐϛιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, hoc est: Nihil nisi quod cum lege naturae consentaneum est in lege et prophetis, pretium habet. Cetera paleae instar putanda expertia frugis nihil ad nos pertinent.

ribus mortalibus antiquius, *τὸ ἔργον* (non *πάρεργον, παρείσδυτον*) *τῦ νόμυ τῦ θεῦ, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις τῶν ἀνθρώπων*, antiquius adeo fide Abraami, quae *πίςις δὶ ἀγάπης ἐνεργυμένη* nihil est nisi voluntaria et liberalis *τήρησις ἐντολῶν τῦ θεῦ.* Gal. 5: 6. Cor. 1, 7: 19. Cfr. Jo. 1, 5: 2-4. Nam hominum fides erga Deum quid est nisi persuasio intima, si legem Dei sequantur, quam ipsa natura, id est sensus communis dictat conscientiaque identidem recolit et inculcat: ipsos certissime ad vitam bonam beatamque perventuros esse? Hoc nimirum est illud *πιςεύειν εἰς ὄνομα* (numen) *τῦ λόγυ, εἰς τὸ φῶς* (Jo. 1: 13. 12: 26), sive ut Cicero loquitur, „rationem quasi quandam lucem lumenque „vitae suspicere et quasi Deum ducem subsequi." Quod si ita est, omnes omnium hominum opiniones, mores, leges, ritus et cultus per omnia secula usque lustrentur ac repurgentur oportet nihilque ratum habere decet homines rationis participes, praeterquam quod *ὀρθὸς λόγος ἀληθείας ὁ ἔμφυτος* (Jac. 1: 18, 21), *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, quod nunquam cessat *ὁδηγεῖν εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, ἐδοκίμασε, καλὸν ἀπέδειξε καὶ κατέχειν ἔπεισε.*

Jam hunc in modum instructus aggreditur Hermannus expedire illum nodum, quem ad hunc usque diem, horrendum dictu! trecenti quatuor interpretes totidem viis magis minusve diversis solvere conati sunt infeliciter ad unum omnes vel praeter unum certe omnes alii.

„Hoc postulare, inquit, jure nostro videmur, ut, „in quo omnes consentire putamus, ea demum justa „interpretatio esse censeatur, quae et verborum „naturali potestati maxime sit accommodata et sen„tentiam eam praebeat, quam consilium scriptoris

„necessarium esse monstret. Atqui verba si spectemus: his nullo pacto aliud contineri potest quam hoc: „Interventor autem non est unius. Deus autem unus est Idque vertendo Lutherus exprimit „rectissime!“

Non rectius certe quam Vulgata, Tig. Latina, Castellio, Beza. Sed vero tam laevo sidere nos nati sumus, ut quam tantus philologus interpretationem putat verborum naturali potestati maxime accommodatam, hac laude impertire non possimus. Graeca sic habent: Postquam Paulus dixit: *Ἐτέθη ὁ νόμος διαταγεὶς δἰ ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτε* (nempe *ἀγγέλων*): id animos advertere vult legentes: *Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ὀυκ ἔςιν· ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐςιν.* Nihil ne unam quidem *κεραίαν* negligere debet Grammaticorum curiositas, cujus, ut mihi videtur, non satis memor Hermannus parum consideravit vocabulum *μεσίτης* iteratum, priore loco articulo vacans, posteriore articulatum. Quod ubi obvenit, ut Beza saepius monet, vim *ἀναφορικὴν* habet sive *δευτέρας γνώσεως.* *) Non optime igitur Lutherus: Durch die Hand des Mittlers. Ein Mittler aber ist nicht eines einigen Mittler; Gott aber ist einig. Quasi Paulus scripsisset: *ἐν χειρὶ τȣ̃ μεσίτȣ. Μεσίτης δέ ἐςιν ὀυχ̓ ἑνὸς μεσίτης.*

---

*) Si quis exemplum requirit, videat R. 5: 34. *Ἡ θλίψις ὑπομονὴν κατεργάζεται· ἡ δε ὑπομονὴ δοκιμὴν· ἡ δὲ δοκιμὴ ἐλπίδα· ἡ δὲ ἐλπὶς ȣ̓ καταισχύνει.* Nemo sanus omnem spem affirmaverit eam esse, ut non frustretur. Est in proverbio Germanis: „Hoffen und Harren macht manchen zum Narren,“ latine: Ludibrio multos spes habere solet. Sed *ἡ θλίψις* h. l. est ea spes, quam experientia ingenuit. — Mt. 8: 37, 38. *ἀγέλη χοίρων — εἰς τ. ἀγέλην τ. χοίρων.* L. 4: 1. Act. 8: 17. coll. 11.

Ergo Hermannus ut, quam accuratissime licet, Pauli exprimeret dictionem, sic reddere debebat: Ista lex (quam modo diximus quadringentis tribus annis post Abraamum latam esse) munere angelorum constituta habetur, qui mediatoris (cujusdam) opera usi sunt (nil attinet referre, quis ille nomine fuerit). Is autem (cujus manu angeli legem prodiderunt, non dicebam angelus, ὡς ἐφ᾽ ἑνὸς, sed angeli, ὡς ἐπὶ πολλῶν) mediator unius non est (multorum est). Atqui Deus, ὁ Ὢν, ὁ μόνος ἀληθινὸς, unus est. Hinc apparet, apostolum non de mediatore generatim loqui, sine ullo respectu, non de mediatore, quicunque sit et cujuscunque, sed de certo quodam mediatore, cujus modo intulerat mentionem, de angelorum mediatore. Nam quis cum ratione negaverit mediatorem dari unius aeque ac multorum? Non solum multis sive unum sive complures ab iis alienos conciliare, in pacem et amicitiam multorum perducere licet, sed etiam conciliare uni complures; multorum benevolentiam et gratiam uni recuperare, id est καταλλάκτην, εἰρηνοποιὸν tum singulorum, tum multorum ut sese quis praebeat, omnino fieri potest. Absurde igitur disserere faciunt Paulum, qui supponunt ejus dicto hanc sententiam: Fieri nequit, ut qui unus est Deus mediatorem habeat, id est ministrum, cujus opera sive homines sive angelos ab ipso abalienatos sibi conciliet. Plane aliud Paulus dicit, hoc nimirum: Moses, utpote mediator alicujus angeli, quorum multi esse putantur, totidem certe quot hominum gentes ac populi, veri Dei mediator fuisse non potest qui Deus vi et natura sua unus est et propter hoc ipsum omnium hominum atque gentium communis, ita ut non, quemadmodum auctor Mosaicae legis,

uni populo consultum velit, unius gentis custodem et *εὐεργέτην* se ferat, sed *σωτῆρα πάντων ἀνθρώπων* (Tim. 1, 4: 10) se praestet.

Comparemus, quaeso, ad mentem Pauli Mosen et Jesum! Mediator est uterque, et nodum in scirpo quaerit Winerus, alium huic vocabulo sensum, ubi Jesus, alium ubi Moses mediator appellatur, comminiscens: id quod Hermannus merito improbat. Differt autem inter mediatores, sicut inter legatos, quum majestate personarum, a quibus electi sunt atque instructi, tum amplitudine negotii commissi. Quanto enim praestat Deus, *ὁ ὤν*, *τοῖς λεγομένοις*, hellenistico sermone angelis, quantoque latius universorum hominum societas patet una aliqua gente: tanto excellentior Jesus videtur quam Moses. Deus autem ea re superior est, si fas est vero componere fictos, quod unus *ἐπάνω πάντων*; angelos autem permultos suo quemque populo praefectos esse, antiquitas opinabatur. In eo etiam similes atque pares Moses et Jesus, quod foederis mediatores uterque egerunt. Nam, quod Hermannus volebat, *διαθήκην* hoc loco (Gal. 3: 14. 4: 24) testamentum esse, non aliquod foedus vel pactum, testamentum ab ipso Deo factum, ita ut nemo intercesserit inter testatorem ac testamentarium, ac mediator nemo hac in causa habuerit locum: videbimus infra, optasse quidem virum sui generis doctissimum, non docuisse, falsoque *εὕρηκα* clamare, hoc, si Diis placet, intellectu nodum ab se dissolutum existimantem.

In altero quoque enuntiato Lutherus ambiguus, prout vocem einig hanc illamve in partem accipimus, rectissime nobis expressisse sensum videtur aut secus. Virum, quem normam loquendi et regulam suo seculo

Germanis fuisse praedicant, non temere profecto scripsisse putamus, non: Gott ist Einer, quasi numerabilis sit; nec rursus: Gott ist der eine (alteruter eorum, qui pactum conventum fecerunt); sed: „Gott ist einig," quam vocem M. Buechnerus in sua Concordantia hunc in modum definit: „qui sui „similem non habet, sui generis unum," qua ratione de angelis bonis malisve nullus, nec Michael nec Uriel, unus sive unicus est, quippe quum angeli plures ejusdemque ordinis et loci credantur. Est unitas igitur, a Luthero attributa Deo, consequens τῆς ἀληθείας τῦ θεῦ, per quam sub categoriam numeri cadere non potest. Nam Deum commune vocabulum non esse recte contendit adv. Marc. 5: 11. Tertullianus, qui adv. Hermog. 17. idem: „Unici Dei status hanc regulam vindicat, non aliter unici, nisi quia solius; non aliter solius, nisi quia nihil cum illo. Sic et primus, quia omnia post illum; sic omnia post illum, quia omnia ab illo." Et adv. Marcion. 1: 3. „Deus, si non unus est, non est." Quisnam autem dicat: Angelus, si non unus est, non est?" *)

---

*) Hinc antiquissimi Christiani rogati, qui vocetur eorum Deus, respondere solebant: Nullum nomen ei est. Nomen enim arguit genus quod communi vocabulo indicetur; multitudinem ergo similium, quorum tamen singuli proprietate personae a ceteris sui generis discernantur eaque ex differentia nomen trahant, itaque est indicium ὑποςάσεως, non ὀσίας. Vocabulum ergo, quod commune non est, ne cogitare quidem patitur sui personas, nedum nomina personarum. Unde elucet, dum Christianis Deus non fuit commune vocabulum, nomen Deo esse negantibus, eos abhorruisse personas deitatis, nec sibi constanter Jesum dicere Deum potuisse, si quidem, cuicunque nomen est, is Deus esse nullo modo potest, nec persona Dei. Quantum ergo Zinzendor-

Hanc autem notionem Dei, per quam unus intelligitur, quia vi et natura sua necessario est unus, haud respiciens Hermannus cum plerisque omnibus commentatorum significatum τῶ εἷς numeralem urgere videtur a Deo prorsus alienum, quum ita disserit: „Interventor si dicitur non esse unius, id quid tandem

fiani, Lavaterus et hodieque permulti a veritate et simplicitate ἀρχαίᾳ religionis nostrae delirant, qui Christum esse proprium Christianorum Deum dictitant, non Deum, parentem omnium hominum communem! Hoc uno argumento quoque falsitas trinitatis illius Athanasianae convincitur, quod ἀσύστατον manifestum; nihil vero minus quam mysterium est evangelicum. Vel ut quaestionem logice instituamus: Ea est notio Dei, ut nulla ratione praedicatum ullius enuntiati fieri queat. Ex. c. Seneca: „Deus, inquit, totus ratio est." Jam vero non licet hanc sententiam invertere ita, ut vocabulum Deus in praedicati locum concedat, ratio vicem subjecti obtineat. Haud enim nomen ὁ λόγος tam late patet, ut vocabulum ὁ Θεὸς ab illo recipi et condi, hoc est hujus attributum, fieri possit. Est ergo merum ἀσύστατον, quod Trinitarii flagitant, quum dicat Evangelista: Θεὸς ἦν ὁ λόγος, eum dicere contendentes Θεὸν, ut praedicatum, contineri τῷ λόγῳ, Deum esse πρόσρησιν τῶ λόγω. Sed etiam falsum Beza grammaticum agit, dicens, in Graeco sermone additum articulum manifesto ostendere, τὸν λόγον habere subjecti locum. Θεὸν vero praedicati. Nam quae vocabula communia non sunt, haud indigent articulo, quo dignoscantur ab attributis locumque sibi vindicent subjecti. Ex. c. Ἰησῶς ἐστιν ὁ χριστὸς, quod enuntiatum nemo sanae mentis propter articulum sic acceperit, ut Christum pro subjecto habeat, Jesum pro praedicato. Praeterea vulgo non animadvertunt Grammatici, alterutrum Graecos instruere solere articulo nudum sive subjectum sive praedicatum, ambo sine articulo non usitari. Interdum vero praedicati nomen necessitate quadam articulum expostulat, ex. c. λόγος, quod nomen apud Joannem certe, ubi articulo caret, significationem prorsus aliam induit, ut Jo. 1, 3: 18. coll. Cor. 1, 4: 20. Thess. 1, 1: 5.

„aliud est, quam interventor ubi sit duos minimum „esse oportere, inter quos interveniat." — „Ex postremo dicto: *ὁ δὲ θεὸς εἷς ἐςι*, patet, Paulum dicere, „apud Deum cogitari non posse interventorem: esset „enim is, qui intercederet, inter deum et deum; quod „absurdum est."

Eodem detorquere facile quis possit Paulum ex versione Lutheri hanc in partem acceptum: „Gott ist einig," hoc est: ab semet ipse non dissidet Deus. Ubi autem nullum dissidium: nihil est quod concilietur, dirimatur. Ergo interventor Dei locum nullum habet. Si modo probare liceat, apud Lutherum locutionem einig seyn idem sonare, quod hodie; non einig ex ore Lutheri aliud nihil esse quam einzig. Verumtamen ex eo, quod quis unus est numero, minime sequitur, ut semper idem sit, secum per omnia congruat et constet, nullo tempore secum ipse dissideat. Absurdum omnino est cogitatu, *τὸν σατανᾶ ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἀναςῆναι καὶ μεμερισμένον* esse, at non propterea quod *εἷς ἐςιν ὁ Σατανᾶς*, verum quod *φρόνιμος, φρονιμώτερος ὑπὲρ τὸς υἱὸς τῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν.*

Haud fugere tantum philologum decebat, Paulum, si voluisset ac spectasset quod ipsi videtur, aliter scripturum fuisse, sic fere: *Ὁ νόμος διετάγη δἰ ἀγγέλων μὲν ἐν χειρὶ μεσίτε· ὁ δὲ θεὸς χρείαν ὀκ εἶχε μεσίτε, ὀδὲ τις δύναται τῷ θεῷ τὸν θεὸν καταλλάξαι, ἕνα ὄντα.*

Verumtamen Deus, quamvis unus, non sese, sed hominum fidem sibi conciliasse potest alicujus ministerio; itaque Jesus *ἐγένετο μεσίτης θεῦ* non *πρὸς θεὸν*, sed *πρὸς ἀνθρώπος*, ut sese probos filios gererent (Mt. 5: 45). *Ὁ θεὸς*, inquit apostolus, *κατήλλαξεν ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ι. Χ.* Nec profecto Her-

mannus ab se impetraverit, ut dicat Mosen interventorem angelorum ita fuisse, ut angelos inter et angelos intervenerit. Eodem igitur jure, quo μεσίτην τȣ̃ θεȣ̃ dari negabat, μεσίτης quoque ἀγγέλων hac in causa certe negandus erat; vel si quem nos praedicamus mediatorem Dei, nae is calumniam interpretationis egregiam exerceat, qui hoc dictum eo detorserit, ut nos quempiam inter Deum ac Deum interventorem velle insimulet. Nec profecto minus absurdum esset sentire, Mosen inter angelum et angelum intercessisse, qui, etiamsi ponamus numero plures fuisse, attamen ὁμονοȣ̃ντες καὶ συμφωνȣ̃ντες unam eandemque rem mandaverant Mosi peragendam, itaque ἓν fuerant, quam intercessisse aliquem inter ἕνα. Unde satis superque liquet, Hermannum nimium probantem nihil probare.

Periclitemur an nihil proficiat, ut Hermanno videtur, inquirere in usum vocis μεσίτȣ, ad ipsum adeo in viam dirigendum. Μεσίτης verbi causa reperitur apud Polybium (Hist. 11: 32) Teleas ille, cui mandatum est ab Euthydemo Magnete, ut hujus causa Antiochum adeat atque cum eo negotium transigat. Sic Moses, Israelita Exod. III. ab Jehova, qui Deuter. 6: 4. unus Deus, Israelitarum nimirum, appellatur, evocatus est atque adornatus, ut hujus nomine agat cum Israelitis; itemque Jesus homo (Tim. 1, 2: 5) legatum atque instructum sese profitebatur, ut homines uni deo et patri hominum universorum conciliet, non item ab hominibus, ut Deum conciliet ipsis: nullum enim unquam odium, nulla simultas fuit adversus homines in Deo, ut opus fuerit ἀποκαταλλάσσεσθαι, εἰρηνοποιεῖσθαι τὸν θεὸν

πρὸς τὲς ἀνθρώπες, *) sed τὲς ἀνθρώπες contra non modo πρὸς τὸν θεὸν, verum etiam πρὸς ἀλλήλες. Idem sic efferri potest: μεσίτης διαθήκης (Hebr. 8: 6. 9: 5) τε̃ θεε̃ καὶ τῶν ἀνθρώπων, aut verbosius hunc in modum: μεσίτης διαθήκης, ἣν ὁ θεὸς ἔστησε, διέθετο πρὸς ἀνθρώπες s. ἀνθρώποις, quemadmodum Moses μεσίτης διαθήκης, ἣν ὁ Κύριος (יהוה, Deus Israelitarum popularis) διέθετο πρὸς τὸν λαὸν αὐτε̃, אשר נתנהו יהוה לברית עם. Mos. 2, 6: 4. 17: 20. 3, 26: 9. 5, 5: 2. Jes. 49: 8.

Probe animadvertit Gesenius, genitivo nonnunquam significari personam, quacum foedus quispiam fecit; ex. c. Mos 5, 26: 14. foedus meum Jacobi pro cum Jacobo. Unum idemque foedus διαθήκη Κυρίε vocatur qui foedus fecit, et διαθήκη Ἰακὼβ, quocum foedus fecit Jehova. Sic una eademque lex τε̃ θεε̃ et τε̃ νοὸς ἡμῶν sive τε̃ πνεύματος. Hac ratione foedus angelorum (qui multi variique putantur, prout hominum gentes diversae) cum populo quodam Minoa, Mosen, Lycurgum μεσίτην habuit. Tot ergo ejusmodi foedera, quot angeli et populi; tot mediatores angelo-

---

*) Quod Jesus de turba illa conquestus est: Ἀκέοντες ἀκέεσι καὶ ε̉ συνιε̃σι, hoc idem praedixisse videtur de vulgo quum veterum tum novissimorum theologorum. Toties lectitarunt ὅτι κατήλλαξεν ὁ θεὸς ἀνθρώπες ἑαυτῷ, in libris N. Foederis, non aliter tamen δογματίζονται, ac si ex libro secundo Maccabaeorum 1: 5. 7: 33. sua placita concepissent. Hinc illa satisfactionis doctrina, qua extirpata demum restitutus erit populo Christiano evangelii candor. Haud equidem scio, an vocabulum intercessoris importatum sit ex ista opinionis perversitate in sermonis theologici usum, per quem intercedere volunt Jesum Deo, quo minus majestatem suam laesam aeterno omnium hominum supplicio resarciret.

rum, quot angeli. Foedus vero Dei, qui vi et natura unus, omnium hominum communis, non cum hac illave gente separatim, sed cum gentibus universis agens idque pari et aequali voluntate, unum nonnisi habere potest mediatorem, id est omnium hominum per omnia secula omnemque orbem terrarum communem. Hinc sui similes Moses multos invenit mediatores in historia rerum, neminem Jesus. Ex quo iterum apparet, ut in notione ipsa mediatoris nihil differat, plurimum autem intersit inter majestatem hujus atque ὁσίαν interque illorum, qui mediatore usi sunt. Mediatore, dicimus ex industria. Intercessoris *) enim vocabulum, quamvis aurei seculi,

*) Exemplum, quod Ernestius (Indice Ciceron. latinitatis) affert ad probandum, intercessorem esse quem mediatorem hodie dicant, nostra quidem sententia parum congruit. Nam ex eo, quod pro Rosc. Amerino 38. legitur: „Isto intercessore legati ad Syllam non adiere,“ hoc tantum perspicitur, intercessorem vocari eum, quo prohibente, dissuadente aliquid omittatur. Nec altera illa significatio sponsoris in re pecuniaria rite accommodatur condendae legi vel foederi faciendo. Κρείττονος διαθήκης ἔγγυος a Vulgato redditur sponsor, non intercessor. Jesus autem sponsor fide dignissimus extitit, quum adjuravit Deus, eum fore sacerdotem perpetuum; unde homines persuasum habeant, τὴν καινὴν διαθήκην tanto magis ratam, firmam, stabilem esse, quanto praestet mortalibus immortalis sacerdos. Nos quidem assentimur Henrico Stephano, qui: „Minime, inquit, tam religiosus esse velim, ut nomine mediator uti nolim; sed si ab eo discedendum sit, nullum ex bene latinis vocabulis mihi magis placuerit uti, quam interpres, ut, si profana sacris accommodare fas est, μεσίτης Θεῦ καὶ ἀνθρώπων reddatur eodem modo, quo dixit Virgilius: Hominum divumque interpres.“ Nobis certe intercessor non minus quam sequester Dei et hominum apud Tertullianum Deo indignus absonusque videtur.

male tamen adhiberi videtur ad reddendum *μεσίτην*, ubi nemo est cui intercedatur, quo minus quid peragat. Simplicissime Deuter. 5: 5. notio mediatoris exponitur: *ὁ ἑςὼς ἀνὰ μέσον Κυρίȣ καὶ τῶν Ἰσραηλιτῶν, ἀναγγεῖλαι τȣ́τοις τὰ ῥήματα Κυρίȣ, ὅτι ἐφοβήθησαν ἀπὸ προςώπȣ τȣ̃ πυρός.* Ergo subveniens imbecillitati hominum Deus, qui adire ipsum vel per malam conscientiam non audent vel per tenuitatem rationis et intelligentiae non possunt, si quem deligit ad renuntiandum ac declarandum suam voluntatem, is *μεσίτης* vocatur. Ita quum fere omnes homines *διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν ȣ̃σαν ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν*, quam aluerat *ἡ ματαία ἀναςροφὴ πατροπαράδοτος*, accedente *συνειδήσει πονηρᾷ*, non ii essent, qui ad veritatem Dei per sese eniti atque *τὴν χάριν τȣ̃ θεȣ̃ τὴν σωτήριον πᾶσιν ἀνθρώποις* toto pectore concipere possent, *ὁ θεὸς, εἷς ὢν*, mediatore usus est Jesu.

Omnes plerique interpretes rem male gerebant, non satis habentes cum Apostolo respicere, abs quo lex profecta sit Mosaica. Ab angelis docet Paulus. Hoc sapienti sat ad intelligendum, hanc legem unam esse de multis, nimirum popularibus, nec vero altiorem virtutem auctoritatemque habere. Haud ergo considerat apostolus angelos legislatores ut unam partem, eos autem, qui *τὸν νόμον* pro *διαταγαῖς ἀγγέλων* (Act. 7: 53) *ἔλαβον* mediatore Mose, ut alteram. De mediatore tantum angelorum cogitat, hoc est; cui personam mediatoris imposuerint angeli: nam Israelitae non creaverunt sibi mediatorem eundem Mosen, quem angeli, licet eum pro mediatore angelorum receperint.

Ergo nec Deum convenit ex parallelo ut unam

partem considerare, ac Deum censere *τὸν ἕνα;* qua quidem ratione angeli quoque pro una parte haberi deberent nihilque omnino differrent a Deo. Quod quum fugeret nominatim Winerum: interpretatio nata est ejus ex omni parte claudicans et grammatica et noëtica ratione sive philosophica, nec vero minus elumbis quam claudicans. Facit apostolum in hunc modum argumentari: „Omnis mediator necessario saltem duas partes postulat inter se conciliandas, ut si altera nulla detur, nec mediator locus habeat. Atqui deus una est ambarum partium." Jam inspice sodes aures mirifice intelligentes, quae his indictis inde resonant: „Atqui altera pars est populus Israelitarum. Ergo lex Mosaica utique divinam auctoritatem ac potestatem in Israelitas certe obtinet." *) Nihil profecto sagacius Winero; nihil autem infantius Paulo, vix dimidiatam edere orationem potente, quae manca et trunca ut integretur tanto divinatore indigeat. Hoc unum dolemus, quod Hermanni eruditio profana audebat Germaniae sacrarum litterarum magistro intercedere, quo minus pro *εἷς*, ut Paulus scripsit, *ὁ εἷς* supponat exponatque lectoribus bonis.

Sed alia quoque invita Minerva hariolatus esse, non docuisse videtur. Primum, ut supra diximus: *ὁ δὲ μεσίτης* subjectum esse enunciati idque infinite intelligendum, non *ὁ δὲ δεικτικῶς* capiendum, scil. *ἀγγέλων μεσίτης*, quem modo dixit apostolus; deinde *ἑνὸς* construendum cum *εἶναι*, non cum *μεσίτης*;

---

*) Nos contra sic ratiocinamur: Atqui pars est altera universum hominum genus: nam *ὁ θεὸς* absit, ut Iudaeorum Deus sit solum, non autem etiam gentium Deus, *ἐπείπερ εἷς ὁ θεός* (Rom. 3: 29, 30). Ergo lex Mosaica, quae non est omnibus gentibus lata, divina non est.

postremo μεσίτης ἑνὸς τινὸς dici non posse, ex. c. Teleam illius Eumenis, qui apud Polyb. unus et solus istum dispexit et subornavit ad conciliandam sibi Antiochi pacem. Alia res est Tim. 1, 2: 5. Nam quod Paulus scripsit μεσίτης θεῦ καὶ ἀνθρώπων non ita scripsit, ut hi genitivi parem et aequalem rationem eundemque ordinem teneant, sed prior est genitivus subjecti, posterior objecti, idemque sonat haec locutio, quod μεσίτης θεῦ πρὸς ἀνθρώπους, sive ἀνὴρ ἐν ᾧ κόσμον θεὸς καταλλάσσειν μέλλει ἑαυτῷ καὶ ἀποκαταλλάσσειν sive εἰρηνοποιεῖν τοὺς ἀμφοτέρους Ἰουδαίους καὶ τὰ ἔθνη εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον ἐν ἑνὶ σώματι (in unum ecclesiae corpus), *) ita ut Deus Jesum designaverit, cujus ministerio non sibi tantum homines conciliaret, sed hominum gentes odio sacro distractos inter sese placaret. Nulla igitur causa reperitur, nedum necessitas, hanc dictionem, ut ita loquar praegnantem, ad interpretationem ejus quem quaerimus loci Gal. 3: 19. detorquendi.

Winerianam interpretationem a duabus partibus, quas omnis μεσίτης necessitate sua exigat, repetitam, quum Hermannus per morem loquendi et grammaticas

---

*) Videsis Eph. 2: 14—17, ubi Jesus εἰρήνη ἡμῶν, i. q. μεσίτης vocatur, quam pacem ut efficeret, ipse non intercessit, sed legem Mosaicam, intercedentem hominum paci et amicitiae, homines ab hominibus dirimentem abolevit, ut omnium gentium homines in unum corpus, unam quasi familiam coirent. Qua demum εὐδοκίᾳ, benivolentia et communitate ἐν ἀνθρώποις restituta Deo, communi omnium parenti, ut boni inter sese fratres, placebunt: nam justos patres filiorum, mutuis odiis dum flagrant, non taedere non potest. Ergo haec prima est ac fere unica conditio pacis cum Deo pax ac benivolentia hominum inter se ipsos.

regulas non posse consistere pervidisset: aliam viam anquisivit, per quam idem mente quidem et sententia efficeret cum Winero divinamque auctoritatem legis Mosaicae tueretur.

Sic restat nobis, ut nervum Hermannianae interpretationis experiamur praecipuum et unicum; quem totum ex vocabulo διαθήκη aptum videmus. Hoc nimirum contra Hebraeorum Hellenistarumque sensum et intellectum constantissimum ab Hermanno testamentum redditur post Winerum, qui Gal. 3: 15. sic interpretatur: „Carissimi, populariter *) loquar, tabu-„las (foedus, testamentum) hominis (lege) „sancitas nemo solet aut evertere aut immutare," cum hac adnotatione: „Διαθήκη videtur h. l. late „patere, quemadmodum apud Latinos dispositio, „ita ut sit voluntas rite declarata, in tabulis per-„scripta. Itaque complectitur etiam testamentum „(Hebr. 9: 16, 17), neque tamen hoc solum." Hieronymus ad h. l. prorsus aliter: „Si quis, inquit, diligenter Hebraica volumina cum LXX viris contulerit: inveniet, ubi testamentum (in versione Itala) scriptum est, non testamentum sonare, sed pactum, quod Hebraeo sermone ברית." Wetstenius ad Hebr. 9: 16. „Graecis et foedus et testa-„mentum διαθήκη **) significat. Posteriori sensu

*) Κατὰ ἄνθρωπον λέγω, similitudine utor ab hominum more et jure in Deum translato, a minore concludens ad majus; non populariter.

**) Διαθήκη idem valet apud LXX, quod συνθήκη, apud quos in usu hoc posterius vocabulum non reperitur; in apocryphis autem ter quaterve usu venit. Aquila vero, Theodotion, Symmachus, ubi διαθήκη apud LXX, usur-

„hoc et sequente commate accipitur; priore per „totam epistolam." Imo per omnes Novi Foederis libros.

Nihil profecto est in epistola ad Galatas, quod notionem testamenti huic vocabulo tribui concedat, nedum suadeat, nisi si quis *ἰδιώτης* ex vocabulo *κληρονομίας* (Gal. 3: 18) commendationem capiat, quod frequentissimo usu per sacra volumina, ubi loquuntur de Deo, non magis hereditatem *) significat, quam testamentum *διαθήκη*. **)

---

pare solent *συνθήκη*. Jam H. Stephanus in Thes. L. graecae: „Notandum est, inquit, Jes. LIX. *διαθήκης* accipi posse pro promissione data, pacto sive foedere inito. Eph. II. *ξενοὶ τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας*."

*) Quum Jehova montem Seir *δέδωκεν κληρονομίαν* Esavo (Deuter. 2, 5: 19) aliisque aliam regionem, ineptius an indoctius haud scio quispiam dixerit: Jehova hereditatem tradidit, hereditate reliquit. Recte his talibus locis Lutherus: Jehova gab es ihnen einzunehmen; recte Gen. 22: 17. Lev. 20: 24. Ps. 25: 13. 37: 11. ירש, *κληρονομεῖν*, germanice reddit besitzen; parum sibi constans alibi saepe: zum Erbe geben, erben. *Κληρονόμοι θεοῦ* non sunt heredes Dei, sed quibus Deus, ut justus parens probis liberis, ex quo adoleverint ad vitam *ἀξίως τοῦ θεοῦ* gerendam, *τοῦ καλοῦντος αὐτοὺς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν* (Thess. 1, 2: 12. Eph. 5: 1, 2. Matth. 5: 48, 45), omnem usum fructum bonorum suorum, cuicunque percipiendo pares sunt, concessurus est; quemadmodum pater ille Luc. 15: 31, ita ut semper agant cum patre et omnia paterna sint ipsorum. Haud expectare debent obitum patris, dum hereditatem cernant; vivo et incolumi patre non spe tantum, sed re ipsa sunt *κληρονόμοι*. Quem Deus *κληρονόμον πάντων*, debellatorem, expugnatorem, occupatorem ac dominatorem omnium fecit, is est ille designatus, ut veritatis potentia omnes gentes a tyrannide vanitatis et falsitatis, ab *ἀγγέλοις* illis, *καὶ ἐξουσίαις καὶ δυνάμεσι* (Pet. 1, 3: 22. Hebr. 2: 5. Eph. 1: 21. 2: 2.

Quovis pignore contendere audemus, nullum in sacris libri locum extare, uno tantum excepto, ubi *διαθήκην* cum ratione testamentum reddere liceat; prorsus autem *ἄλογον* esse testamentum Dei. Nam testatorem esse, testamento legare cui, testamento relinquere quid a notione Dei tam longe abhorret quam morte defungi, supremum diem obire.

Hebr. 9: 16, 17, ut jam diximus, unus et solus est locus, ubi vocabulo *διαθήκην* notionem testamenti subjectam reperiamus. Unde suspicio Erasmum incessit, auctorem hujus epistolae hebraice nescisse; nos autem amplius aliquanto auguramur, his duobus commatis interpolasse epistolam hominem non solum hebraice nescientem, sed omnino fatuum. Nam *διαθήκη καινὴ* quum *διαθέμενον* habeat ipsum deum, mediatorem autem Jesum, si non rata fieret ante mortem *τȣ̃ διαθεμένȣ*, id est, *τȣ̃ θεȣ̃*, ad Graecas Calendas demum rata fieret; nisi forte insanire placeat cum illis cantantibus:

6: 12. Col. 1: 13. 2: 15. Cor. 1, 15: 24) vindicet in obsequium sui, hoc est in imitationem ac similitudinem. *Κληρονομεῖν* est mancipio accipere quid, cum plenissimo jure possessionis ac dominationis perpetuae; quumque herorum liberi contribuuntur patribus, ut propagines: ii, ut primum adulti sunt ac felici educatione patrum votis respondent, heri minores vocantur, vivisque et integris patribus in communionem bonorum honorumque veniunt natura, non testamento. — Paulus jurisconsultus: „Ratio naturalis, inquit, quasi lex „quaedam tacita liberis parentum hereditatem addicit, „velut ad debitam successionem eos vocando.“ Papinianus: „Liberos ad bona parentum admittit naturae simul et parentum commune votum.“

**) Eadem inconstantia laborat Lutherus in reddendo בְּרִית, ex. c. Mos. 2, 24: 8. Hebr. 9: 20.

Una movete horrendum fletum!
Deum peremit ipsum letum.

Vernacule: O grosse Noth! Gott selbst ist todt.

Sed sanciretur sanguine foedus oportebat mediatore administrante, ut veterum quidem opinio tulit. Jam vero Moses τὴν διαθήκην, cujus mediatorem egit, alieno sanguine taurorum hircorumque vili; τὴν καινὴν, κρείττονα (Hebr. 17: 22. 8: 6) contra Jesus τιμίῳ αἵματι, τῷ ἰδίῳ, sanxit, itaque ut munere suscepto perfungeretur, suam ipsius mortem oppetiit. Necesse enim erat αὐτὰ τὰ ἐπȣράνια καθαρίζεσθαι κρείττοσι θυσίαις παρὰ ταύτας (ταύρων καὶ τράγων) ibid. 9: 23. Quare si non insipiens fuisset scholiasta, ita scripsisset: Ὅπȣ διαθήκη, τȣ̀ς ποιησαμένȣς ἀνάγκη αἵματι ῥαντίζεσθαι ὑπὸ τȣ̃ μεσίτȣ· θάνατον ἄρα τινὸς γενέσθαι· (incertum adhuc relinquitur, cujus et quali sanguine) διαθήκη γὰρ ἐπὶ ῥαντισμῷ *) βεβαία. Ceterum h. l. epexegesin talem supervacaneam esse ac dissimilem brevitati scriptoris nervosae, quicunque sapere audent, facile sentient omnes.

---

*) Quid enim est ille ῥαντισμὸς, nisi symbolica ὁρκωμοσία, quae ratam, fixam, sacrosanctam efficiat sponsionem et obligationem? Nam αἷμα ῥαντισμȣ̃ Hebr. 12: 14. Pet. 1, 1: 2. nihil aliud sonat, quam αἷμα διαθήκης, per quam Israelitae Exod. 24: 8. non scelerum veniam et impunitatem peccatorum impetrarunt, sed supplicii gravitatem inevitabilem ob oculos versantem habebant, quae immineret icti foederis contemtoribus. Vid. Heb. 10: 24 sq. Αἷμα ῥαντισμȣ̃ κρεῖττον λαλȣ̃ν παρὰ τὸν Ἄβελ ibid. 12: 24. sanguis est validius efflagitans vindictam, quam Abelis, non ut male sani commentatores opinantur, „placidius indulgentiam deprecans violatori, non ultionem exigens. Nusquam omnino sanguis, qui διαθήκης causa funditur et inspergitur, veniam spondet atque impunitatem in rebus, quas ipsum foedus injungit praestandas, sed contra.

Etiam in profana quae dicitur litteratura *διαθήκη* non per se significat testamentum, sed ex contextu et rerum quae narrantur ipsarum conditione elucere debet sermonem esse non *περὶ συνωμοσίας, διαςάσεως, διαιρέσεως, διακρίσεως, διαθέσεως τινὸς ἄλλης* (vid. Hesych.), sed de testamento, hoc est „de mentis justa contestatione, in id solemniter facta, ut post mortem valeat,“ quam testamenti definitionem latini tradunt jurisconsulti. Ut exemplum unum proferam, est apud Aristoph. Avib. 434. *Ἢν μὴ διάθωνται γ' οἶδε διαθήκην ἐμοὶ — Διατίθεμ' ἔγωγε· κατώμοσον νῦν ταῦτα μοί.* Ubi Schol. *ὑπισχνοῦμαι, συντίθεμαι.*

Hic rursus Hermannus, quid dicam, ignoret an celet, quam fortiter Ernestius suus errorem in hoc vocabulo reddendo Vulgati et Lutheri auctoritate inveteratum corripuerit. Collaudavit enim Godofredum Frg. Zachariae, qui paraphrastes epistolarum Paulinarum, idque hoc ipso de quo disputamus loco, *διαθήκην* vertit foedus, hunc in modum: „Hoc loco, „inquit, *) testamenti cogitatio nulla est. *Διαθήκη* „est pactum; pactum autem mutua promissione „constat. Sic ergo accipi debet hoc dictum: Ne „hominis quidem pactum, rite sancitum, retractari „aut immutari a quoquam jus est.“ — „Hac ratione „curabitur quoque, ut hominum animis ille cum „testamento lusus eximatur, nimium quantum „consuetus, ex eo videlicet, quod phantasiam (*τὸν* „*νοῦν τῆς σαρκὸς*) demulcet ejusque indulget commo„ditati.“ Hoc acute quidem Ernestius, ut multa. Nam quid ignavae carni acceptius et suavius, quam

*) Vid. Ernesti Noviss. Bibl. Theol. II. 1. pag. 27. 1772.

testamenti privilegio hereditatem adipisci rerum, quae nec naturali rationi ad eam pertinent nec ulla dignitate morali aut merito, quod contra in pactis nihil obtingit, nisi certae promissioni satisfactum fuerit. O si theologi aliquando hunc velut lapidem Lydium adhiberent dogmatis, num carni exoptata et jucunda sint necne, atque animum probe attendant, quam propensa sit caro nihil non credere quantumvis ἀσύςατον, si modo per commodum suum liceat praetextusque inde captari queat supersedendi officiis vitae; nimis autem eandem obluctari axiomatis ac praeceptis, quae laborem molestiamque ipsi injungant. Hinc venit, ut οἱ σαρκικοὶ ab initio ecclesiae aversarentur veritatem sua natura castam et severam, converterent autem animos in μύθȣς βεβήλȣς atque in doctores, κνηθομένȣς τὴν ἀκοήν. Tim. 2, 4: 2-4. 3: 5-7. 1, 1: 4.

Sed redeamus in viam! Hoc loco igitur deprendimus profanae philologiae principes, Ernestium et Hermannum, ab se invicem manifesto dissentientes eamque vocem, in cujus sensu cardo argumentationis verti videtur, contrariam in partem accipientes. Quod dum accidit: non ita convenit philologiae profanae has tales controversias exprobrare theologis, aut remedium obtrudere, quum iisdem vitiis laborare videatur.

Jam vero Hermannus pag. 12. e Gal. 3: 12 hanc eruit sententiam: „interventori, quod interventor non „sit unius, non esse locum apud Deum, qui unus sit „utpote testator, cujus unius ex voluntate nemine „intercedente, ȣ̓δενὸς ἀθετȣ̃ντος ἢ ἐπιδιατασσομένȣ, „hereditatem capiat heres."

Consimiliter etiam sic disputare licebit: Interven-

tori, quod interventor non est unius, non est locus apud Deum, qui unus est utpote legislator (Jac. 4: 12), cujus unius numine, procul abs quopiam intercessore, et legem accipiant homines et lege constituta pro meritis aut praemia reportent aut poenas. Jam vero si locus non est interventori apud Deum legislatorem: nulla lex quam in confesso habetur aliquo interventore latam esse, divinam originem habet. Nulla igitur praeter legem naturae divina.

Sed videat Hermannus, qua ratione illud axioma: *ὁ θεὸς εἷς ἐστι*, ita infirmetur, ut nihil amplius sonet quam: „Deus, auctor ejus quod diximus testamenti, „ut quivis testator, unus est," ita ut unitas Dei non *ἐκ τῆς ἀληθείας τοῦ θεοῦ*, id est vera ejus notione concipiatur, absoluta; sed relativa unitas ex eo, quod necessitudo testatoris Deo cum Abraami semine intercedat. Pari modo ex vs. 15. dicere possimus: *πᾶς ἄνθρωπος, διαθήκην διαθέμενος, εἷς ἐστιν.* Quoties litterae sacrae dicunt, Deum unum esse? Cor. 1, 8: 6. Eph. 4: 6. etc. Sed nunquam hoc dictum perinde accipere licet, ac si de homine quis loquatur: *ὁ δὲ ἄνθρωπος εἷς ἐστι*, scil. *ποιήσας ἢ παθών τι*, nullo interventore. Nostro quidem judicio reticentiam, quam Hermannus dicto: Deus autem unus est; affingit: „quemadmodum omnis testator est unus, quippe qui suo in negotio nullos habeat *πρὸς ἑαυτὸν διαφερομένους* sive *ἀντικειμένους*, itaque non indigeat ullius *μεσίτου*," hujusmodi *ἀποσιώπησιν* natura et ingenium sermonis humani praecludit. Haud aliter Usterius, praeterea quod, nullo quidem exemplo, posuit vocem *εἷς* „tendere ad absolutam unitatem voluntatis," parum memor, ubi de voluntate agatur, vocem *ἕν*

adhiberi, non εἷς. Hermannus porro id comma hac una de causa Paulum censet adjecisse, „ut comprobaret intermedium quid esse legem“ (inter promissionem ejusque eventum) „nec pertinere ad promissionem illam ejusque eventum.“

Quid audio? Hermannus ipse ponit τὸν νόμον τῶν ἀγγέλων testamenti μεσίτην et hereditatis, quam semen Abraami ex testamento Dei capturum sit? nam si lex intermedia dicitur: manifesto mediatrix habetur. Incertos autem linquit Hermannus, an semini Abraami, tamquam mors testatoris heredibus ex testamento, τέλος νόμȣ operiendum fuerit, antequam hereditatem capere liceret, ac promissis tamdiu carendum; an quoad lex valebat, tale semen, ad quod promissio illa pertineret, nullum dum fuerit exortum et repertum; id quod nos censemus. Venerit enim (vs. 20), praesens adsit, necesse est, cui promissum aliquod cedat. Jam simul ac τὸ σπέρμα παρεγένετο, ᾧ ἐπήγγελται, lex Mosaica ἐπαλαιώθη, κατηργήθη. Ergo lex ista, interea dum rata fuit, ἕτερον σπέρμα obstrictum tenuit, non τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας. Ea certe conditione Deus probo semini Abraami almam illam felicitatem pollicitus est in universos hominum gentes redundaturam, non ut differretur promissionis eventus, donec lex Mosaica quadringentis ac tribus annis post eam promissionem ferenda aliquando exolesceret; sed ut, quum primum semen ejusmodi provenisset, continuo praestarentur promissa. Ex quo patet, nec ante seminis ejus proventum legem intermediam fuisse nec post, quum antea semen non esset, postea lex evanuisset, quae intercederet inter semen ejusque promissionem.

Audacter contendimus, legem Mosis et quamlibet

positivam natura prorsus diversam esse ab illa *διαθήκῃ τοῦ θεοῦ πρὸς Ἀβραὰμ ςαθείσῃ*, quae si verum quaerimus eadem prorsus esse videtur cum illa *διαθήκῃ αἰῶνος*, *) quam Deus *ἀπ' ἀρχῆς ἔςησεν ἀνθρώποις* (Sir. 17: 12), eosque admodum lippire censemus, qui legem positivam, qualis Mosaica fuit, ac naturalem, id est Dei, inter se connexas et aptas esse velint. Quid enim? Cogitemus semen terrae mandatum, unum optimum illud quidem, sed tardissimum proventu! quod interea dum provenire moratur, si gramina mala luxurient in agro: qua ratione ista possis ad illam seram sementim referre, nisi si forte *εἰς γῆν ἢ εἰς κοπρίαν εὔθετα* esse putes?

Ad eam denique difficultatem accedit Hermannus, quod pariter ut Moses Jesus quoque non semel apud Paulum *μεσίτης διαθήκης* appellatur, ille *παλαιᾶς*, hic *καινῆς*. Unde suam interpretationem hunc in modum expedire conatur, ut *μεσίτην* Mosen dictum velit, „propterea quod legem acceptam a Deo“ (diserte Paulus ait ab angelis) „ad Judaeos pertulisset; interventorem ergo Mosen propterea dici, quia non ipse Deus Judaeis promulgaverit legem, sed per alium; Jesum, „quod voluntatis divinae declarationem a Deo pertulisset ad homines.“

Sed, quaeso, quid aliud est lex, si quam Moses a Deo acceptam ad Judaeos pertulit, quam volun-

---

*) Veteres et Grotius hanc legem Mosaicam esse volunt, parum attendentes, ut, quae Siracides 17: 1-15. scripsit, in homines universos cadant. Identidem commentatores delirant in eo, ut opinentur, ubicunque fere scriptores V. et N. Foederis de lege mentionem faciant, Mosaicam esse intelligendam, quemadmodum Judaei legem naturae nullam putasse videntur.

tatis divinae declaratio; ac rursus divinae voluntatis declaratio, hominibus tradita ab Jesu, annon item lex haberi debet sentiendi atque vivendi? Ergo inter Mosen et Jesum hoc proprie interest, quod legem ille ad Israelitas tantum ab angelis, hic ad universos homines detulit a Deo. Qui possit autem ab uno eodemque Deo, ut Hermannus contra ac Paulus dicit, alia lex ad omnes hominum gentes, alia separatim ad unam certam gentium profecta esse? Illa priva lex ipsa suum auctorem arguit Israelitarum Deum, popularem, cujusmodi Deos *νομιζομένυς* Hellenistae et Patres angelos appellare consueverant (Sir. 17: 14, 15. Hebr. 2: 5. 1: 6. coll. Ps. 97: 8); non omnium gentium, qui Deus est naturalis (Rom. 3: 29). Et si nonnisi una omnium hominum communis lex naturalis: lex alicujus populi propria positiva sit, necesse est. Vid. Tatian. ad Graecos 28.

Quid quod, si Jesus divinae voluntatis declarationem a Deo pertulit ad homines: eam declarationem non magis ipse Deus hominibus notam fecit, quam Judaeis legem, sed per alium. Ergo declaratio illa nihil praecipuum habet praeter hanc legem.

Concedit omnino Hermannus, utrique foederi recenti pariter ac veteri intercessorem esse; „auctoritatem ergo veteris foederis nihil deteriorem videri „quam novi, eo quod Moses nihil nisi intercessor „fuisset, si quidem etiam illis Abraami posteris, ut „novam legem acciperent, interventore opus erat „Jesu"; itaque Winero adsentitur.

„Id ergo ut declinaret Paulus Jesum ipsum „contendit semen Abraami esse. Hunc autem si facit „heredem ex testamento; excluditur interventor, solo „relicto testatore deo; verumque est quod dicit unius

„non esse interventorem: unum enim esse deum," non ut Deum videlicet, sed ut testatorem, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is testator sit.

Jam ostendimus primum, precario sumi, Jesum esse semen Abraami; precario item, eam, quam Paulus vs. 15, 17. commemorat, *διαθήκην* esse testamentum, deumque testatorem. Quae quum ita sint, falsam falsis Hermannus inaedificat argumentationem.

Si mentem ejus adsequimur, non tres numerare licet, testatorem Deum, heredem ex testamento semen Abraami, et interventorem aliquem inter hoc et illum: sed si Jesus sit unus ipse semen Abraami idemque *μεσίτης*, sequi, ut res ei fuerit cum uno Deo, ipso pro sese intercedente, vel quod eodem redit, nullo intercedente.

Sed item ratiocinari possunt Judaei, qui legislatorem faciunt Jehovam, legis acceptorem populum Israelem et intercessorem Mosen, semen Israelis. Ergo apud Jehovam Israel ipse, cujus personam Moses gerebat, intercessit pro sese, unus apud Jehovam unum; quemadmodum Jesus, filius hominis sive homo, ut est apud Paulum Tim. 1, 2: 5, Rom. 5: 15, 19. hominum mediatorem egit, unus apud Deum unum; tertius intervenit nullus. Egregie congruit, quod apostolus Hebr. 5: 1. docet: *Πᾶς ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος* *) *ὑπὲρ ἀνθρώπων καθί-*

*) Male intelligeres Paulum, si opinareris, dari sacerdotes et homines et genere humano sublimiores: nam vs. 2. ostenditur ac supra 2: 6-17. 4: 15, sacerdotem, quo homines rite utantur, ex hominibus capiendum esse. Jesus, homo pro hominibus, sui generis persona suscepta, *ἐντυγχάνει ὑπὲρ αὐτῶν* (Hebr. 7: 25.

ςαται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, ἵνα προςφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν - καθὼς περὶ τοῦ λαοῦ, οὕτως καὶ περὶ ἑαυτοῦ.

Sophistam agit postremo Hermannus, non probum interpretem, quum διαθήκην (Gal. 3: 17) ac διαθήκην (Tim. 1, 2: 5) discernit, illamque testamentum facit, hanc legem, quod Winerum in vocabulo μεσίτης insimulat ipse peccans in διαθήκη. Nam, ut pro testamenti nomine controverso ἐπαγγελίαν ponamus, de qua voce prorsus convenit inter eruditos: in omni διαθήκῃ inest oblatum sub certis conditonibus bonum; omne igitur foedus partim ἐπαγγελία est, partim νόμος, id est summa, conditionum quibus accipiendis ac servandis obtinentur promissa. *) Prout autem alicubi vel haec pars foederis vel illa respicitur praecipue, per synecdochen διαθήκη vel ἐπαγγελίαν vel νόμον sive ἐντολὴν significare potest ac vicissim

---

9: 24. Rom. 8: 34) apud Deum; immediate ergo ut ita loquar, conciliavit sibi Deus in eo homines, ita ut nemo Deum inter et homines intercesserit. Hinc apparet, turpiter falli Orthodoxos, qui μεσίτην Dei et hominum θεάνθρωπον, non ἄνθρωπόν statuunt. Talis μεσίτης certe nec Moses fuit, nec Aaron. Iidem nolunt concedere, Jesum, sacerdotem, unum omnibus numeris absolutum, πρότερον περὶ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίαν, ἔπειτα τοῦ λαοῦ obtulisse: nam Jesum χωρὶς ἁμαρτίας fuisse. Verum tamen negare non possunt, eum debuisse διὰ παθημάτων τελειοῦσθαι, μανθάνειν τὴν ὑπακοὴν, Jesum non τελειούμενον, μανθάνοντα, sed τελειωθέντα demum αἴτιον σωτηρίας αἰωνίου, hoc est ἀρχιερέα γενέσθαι. Non πειραζόμενον docet Paulus certe (4: 15), sed πεπειρασμένον, ὑπομεμενηκότα πειρασμὸν, ἀποθέμενον τὴν εὐπερίςατον ἁμαρτίαν, χωρὶς ἁμαρτίας εἶναι. Et si δίκαιοι sunt praeter Jesum τετελειωμένοι (Hebr. 12: 23): etiam eos Jesu similes, ex quo τετελειωμένοι extiterint, χωρὶς ἁμαρτίας praedicare consentaneum est.

*) Vid. Gesen. Lex. sub בְּרִית.

vel *ἐπαγγελία* vel *νόμος* pro *διαθήκη* ponitur, sic tamen ut nec promissionem a lege sive conditionibus praestandis immunem nec legem omni promissione carentem usquam intelligere liceat. Nam etsi Judaei quum legem dicebant suam positivam volebant; istiusmodi autem legem ab *ἐπαγγελίᾳ* Abraamo facta, sive quod idem est ab evangelio Christi, Paulus procul esse jubebat: nihilo minus legem naturalem *) individuam comitem evangelii esse arbitrabatur, ita ut ubi altera deficiat, altera non habeat locum. Idem promissa positivae legis, quum temporaria et incerta tum exigua ducens, molestias autem huic legi adjunctas hominibus ratione et voluntate praeditis intolerabiles: *ἐπαγγελίαν* legis positivae pro nihilo habere solebat: nam ea legis ejusdem inhumanitate et illiberalitate obscurabatur (Gal. 3: 10-13).

Hac igitur mente quum Jesum dicit mediatorem *καινῆς διαθήκης*, legem naturalem, *καινὴν ἐντολὴν* intellectam vult Paulus, quae non magis unquam obsolescit quam hominis natura, cum *ἐπαγγελίᾳ ζωῆς τῆς νῦν καὶ μελλούσης*. Quum autem Mosen dicit mediatorem *παλαιᾶς διαθήκης*: legem commentitiam significat, per

*) Hanc legem naturalem Joannes (epist. 1, 2: 7, 8) *ἐντολὴν παλαιὰν* vocat, *ἣν εἴχομεν ἀπ᾽ ἀρχῆς*, scil. *κτίσεως* (confer. Sir. 17: 1-10, 12), atque eandem rursus *καινὴν ἐντολὴν*, instauratam a Christo, ita ut ipse cum suis eam re et veritate exprimere coeperit. Egregie Tertullianus: „Ante legem, Moysi scriptam in tabulis ligneis, legem fuisse contendo, quae naturaliter intelligebatur et a patriarchis custodiebatur. Nam unde Noachus juste inventus, si non illum naturalis legis justitia antecedebat? unde Abraam amicus dei deputatus, si non de aequitate et justitia legis naturalis?“ Vid. Zuinglius ad Mt. 7: 12.

quam homines ὑπὸ κατάραν redacti sunt promissisque lactati inanibus, quae assequi homines vel nequeant, vel si queant, eorum desideria infinita non satientur. Mediator autem Jesus factus est, in quantum homines, quum promissorum divinorum conscios simulque avidos reddidit, tum vivere secundum Dei voluntatem, id est legi Dei obtemperare volentibus, λόγῳ καὶ ἔργῳ praeivit fideique, ut in credendo τὴν ἐπαγγελίαν, sic in obediendo τῇ ἐντολῇ τȣ̃ θεȣ̃, semet ipse specimen praebuit, documentum denique δικαιοσύνης ἐκ πίςεως, qualis in Abraamo cernebatur, et exemplum χαρίσματος, quod οἱ τετηρηκότες αὐτὴν τὴν πίςιν reportaturi essent, αἰωνίȣ δόξης καὶ τιμῆς. Tali mediatore sive ἀρχηγῷ, quod nomen certe magis proprium est, illud figuratum, quum Deus homines indigere sciret, ipsius providentia Jesum ad hoc muneris delegit atque instruxit. Naturae profecto judicium est illa vox Lutheri: „Homines hominum opera Deus educere solet. Hinc „ille homo fuerit oportet, qui munere Christi perfun„geretur.“ Nam, ut Cicero docet, „ratione utentium duo „genera ponuntur, unum deorum, alterum hominum. „Deos placatos pietas efficit et sanctitas; proxime autem „et secundum deos homines hominibus maxime utiles „esse possunt.“ — „Impellimur enim natura, ut „prodesse velimus quam plurimis, inprimis docendo „rationibusque prudentiae tradendis.“ — „Quae est „igitur melior in hominum genere natura, quam „eorum qui se natos ad homines juvandos, tutandos, „conservandos arbitrantur? Abiit ad deos Hercules. „Nunquam abiisset, nisi quum inter homines esset „eam viam sibi munivisset.“ — Magis est secundum „naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit (non „pro una sola, ut Judaeorum) conservandis aut

„juvandis maximos labores molestiasque suscipere, „imitantem illum Herculem — quam vivere — non „modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis „voluptatibus — Quocirca optimo quisque et splendi- „dissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit.“ Cic. de Fin. 3: 20. Tusc. 1: 14. Offic. 3: 5. 2: 3. Jam si variae naturae in genere humano inveniuntur; si earum naturarum aliqua est optima (*τὸ σπέρμα Ἀβραὰμ*), atque inter homines optimae naturae unus omnium certe exortus esse debet, in quo ultima perfectaque hominum natura clarissime conspiciatur, ut Ciceronis verbo utar; ut Pauli *ὁ ἔσχατος ἄνθρωπος, ὁ κατὰ θεὸν κτισθεὶς, ὁ εἰκὼν τȣ̃ θεȣ̃*, quod simulacrum sui Deus ipse condidit, ex quo ipsius artificis, ut ita loquar, virtutes augustissimae reluceant: *) is profecto inter homines, qui proxime et secundum Deos maxime utiles hominibus esse possunt, re et veritate unus omnium utilissimus erit, is princeps eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrentur. Hinc illa paronomasia non ingrata fuit olim *τοῖς ἐν χριςῷ*, qua *χρηςιανοὶ* vocabantur eorumque magister *χρηςός*. *Ὀνόματος προςωνυμίᾳ χρηςοὶ ὑπάρχομεν*, Justinus ait Apol.

---

*) Hinc *νοητὴ*, idealis quoque notio filii Dei facile concipitur. Faciamus enim artificem, qualem inter homines reperire non datur, produxisse opus, cui non tantum sui ingenii, sapientiae, virtutis, solertiae vestigia impresserit auctor extrinsecus conspicua, ut nemo non agnoscat ejus manu confectum, *διὰ τȣ̃ λόγȣ αὐτȣ̃ γεγονὸς*, sed opus ita comparatum, ut *ἐν τῷ λόγῳ αὐτȣ̃ γεγονὼς* videatur, quoniam inditis virtutibus auctoris vigeat cum conscientia et libertate agendi: tum vero illud non *ἔργον* sive *κτίσμα*, sed *γέννημα, τέκνον, ὑιὸν αὐτȣ̃* fas fuerit appellare.

1: 7. Hinc apud Francogallos Chrétiens, non Chritiens. Quae quum ita philosophi mentis acie usuque rationis intellexerint: ii nobis quidem iniquiores in apostolos esse videntur, qui magistrum suum Jesum talem suis etiam oculis agnovisse profitebantur, atque non tam sincere pios, *εὐσεβεῖς*, quam religiosos, id est, superstitiosos apostolos Jesu se praestitisse censent. Meliora loquantur vel ostendant alium, per quem illa species *σωτῆρος κόσμου*, hominibus sapientissimis ante Christum obversata, pulchrius et plenius in hominum prodierit vitam! Nam qua via major meliorque salus eaque latius patens humano generi contingere potest, quam *τῷ μεσιτεύειν*, hoc est, *καταλλάσσειν*, *εἰρηνοποιεῖν* tum gentes inter gentes, tum homines universos cum Deo, qui per opinionum et morum pravitatem ab optima natura desciverant, sive quod idem est ab uno Deo abalienati erant, *ἐσκοτισμένοι τὴν διάνοιαν*, ita ut vulgo certe nequirent *γινώσκειν τὸν ἀληθινὸν*, *ὁρᾶν αὐτὸν*, *καθώς ἐστι*, *πατέρα*, *τὸν μόνον ἀγαθόν*.

Haec igitur notio *μεσίτου τοῦ θεοῦ* tam rationalis quam evangelica et apostolica nobis quidem esse videtur, quapropter eam demum interpretationem probare licet, quam huic notioni cernimus maxime consentaneam, simulque omnis philologiae et profanae et sacrae legibus ac regulis accommodatissimam.

Plurima Paule, vir nescio amicior an venerabilior mihi, etiam hac in causa inter nos convenire, opinione auguror; *εἴ τι ἑτέρως φρονεῖς*, candidus pro Tuo ingenio aperies. Vale!

EPISTOLA SECUNDA.

Priore epistola scripsimus de auxilio, quod Hermannus theologis attulerit, in enodando loco Paulino Gal. 3: 19, 20. misere satagentibus, non admodum feliciter, nostra quidem sententia. Nam ex parte modo aliqua vidit, ubi haereant; complura, quae vetusta quidem traditione juxta cum iis imbiberat, incerta quum pro certis, falsa pro veris haberet: fieri non potuit, ut ad verum penetraret. Erravit autem potissimum in eo, quod opinabatur, „omnem difficultatem in v e r b o r u m explicatione consistere“, et tantum tamque multiplicem nodum posse dissolvi, etiamsi quis hebraici et hellenistici sermonis ingenium non penitus cognitum habeat et in Patrum ecclesiasticorum litteris vix modice versatus sit. Quod autem maxime opus est ad ejusmodi dicta Pauli enucleanda, quibus significat, non declarat sua sensa et cogitata, ut ii tantum penitus perciperent qui concoquendo pares essent, *οἱ τέλειοι*, longus usus et familiaris consuetudo Pauli deficiebat. Sicut enim quantalibet graeci sermonis peritia non satis est ad Platonica et Aristotelica intelligenda, nisi diurnis nocturnisque studiis ea versaverimus, ita ut non verborum, sed etiam sententiarum et rerum simus potentes, et singulares horum philosophorum in disserendo rationes ac vias teneamus: ita Pauli interpres multa studuisse debet ac didicisse multa, quae sunt extra scholas Grammaticorum et copias philologiae communes. Expertum me loqui testatur, credo, illud

opus praecipue, quod inscripsi angelorum mundus, lex et cultus. Et si mihi contingeret, ut Hermannus his lacessitus litteris meam interpretationem sub leges suas, quas dudum accepi, vocaret, operae pretium viderer fecisse. Cetera, quae de tribus Pauli ad Galatas capitibus primis disputavit, praetermittere poteram, ut quae mea scripta nihil adeo tangant. Sed vero, dum vacat, non est cur dissimulemus, quid etiam eorum nobis probetur, quid parum, conferens novissimum commentarium Leonardi Usterii, filii, quem praematura morte patriae litteratoque orbi abreptum cum eruditis omnibus vehementer lugemus.

Recte cap. 2: 2. improbat Hermannus eum, quem Winerus post Lutherum, Koppium et alios locutioni κατ᾽ ἀποκάλυψιν tribuit sensum: „divino instinctus monitu, igitur non meopte arbitrio." Per hanc enim interpretationem parum liquet, quid sibi velit Paulus vel qua ratione hunc in locum haec locutio congruat. *) Reputemus paulisper, quid ab initio

*) Hoc permolestum accidit rerum potius quam verborum curiosis, quum commentator alicujus libri etiam ipse indigere videtur τῦ διερμηνεύοντος ἑρμηνέα. Winerus dicit, Paulum non suo arbitrio profectum esse, sed divino monitu instinctum, ergo Dei arbitrio. Nihil eximium et singulare audimus, si quidem omnia nutu et arbitrio Dei reguntur vel invitissime. Exempli causa adversarios Jesu ita rexit Deus, ut eum non suo certe arbitrio exaltarent operamque darent, ut quem contemtim haberent υἱὸν ἀνθρώπου, ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον experirentur ἐξ δεξιῶν τῆς δυνάμεως consedisse. Num Paulus, hoc modo quo Cajaphas, non suo arbitrio fecit, nolens, quod se fecisse narrat? Minime vero, sed sua voluntate, libenter. Si volens, annon sciens, prudens? Etiam. Jam cedo, quanam ratione certus factus est, arbitrium Dei esse, non suum, ad quod sua tamen voluntate hoc iter instituerit. Ut commentarius docet: divino in-

inde epistolae agat, dum se ἀπόϛολον ὐκ ἀπ' ἀνθρώπων ὐδὲ δι' ἀνθρώπυ profitetur, dum vel angelum de coelo, si quis diversum ab eo quod ipse Galatis tradiderat, evangelium afferret, execratur, dum hoc evangelium non κατὰ ἄνθρωπον esse affirmat? non enim ab homine illud sese acceptum neque doctum habere, sed suae menti ab ipso Deo notionem et intelligentiam Christi, qualem filium Dei habere deceat, informatam esse; non carnem et sanguinem sese in consilium adhibuisse, ut ad mortalium auctoritatem, quicunque illi sint, speciem Christi semel conceptam attemperaret et conformaret; non apostolos convenisse hac de causa majores, ac deinceps quoque constanter tenuisse suum institutum: nam quod quatuordecim annis a ministerio Christi suscepto Hierosolymam esset profectus, evangelium, quod nuntiabat gentibus, ibi relatum, in eo se

---

stinctus monitu. Sed hoc ipsum, Winere, tuus commentarius explicare debebat, quibus argumentis cernatur monitus divinus; qua via sive extrinsecus sive intrinsecus fuerit Paulus instinctus, ut si ego vel tu impetum quendam sentiamus ad conandum quidpiam, certo sciamus, Deine monitus sit necne: nam falli nobis noxae foret in ejusmodi rebus potissimum. Tuos tu discipulos manifesto destituisse videris commentator. Agedum periclitemur nosmet, an mancam tuam explicationem integrare possimus! Paulum eorum numero fuisse nemo negaverit, quos Jesus dicit τὸ θέλημα τῦ θεῦ θέλειν θέλοντας, non pro suo arbitrio sive potius pro sua lubidine agere gestientes. Atqui eorum est non se conformare ad voluntatem et arbitrium istius seculi, sed habitum animi corrigere instauranda mente, qua tamquam coticula utentes spectent atque explorent, quid placitum Dei sit, quid bonum et honestum et perfectum. Nec vero dubitare licet, quin Paulus, quoties ita fecit, ut Rom. 12: 2. praecepit, quum res ipsa se aperuit, placitum Dei nimirum in aliqua causa, cum ratione crediderit se

minime suam mentem rationemque mutasse: *κατ' ἀποκάλυψιν*, non citatum ad rationem reddendam, nulloque imperio coactum, non aliorum arbitrio, sed libero suo decreto hoc iter fecisse, quum id unum maxime conducere ipsi videretur ad reprimendos *τῶν παρεισάκτων ψευδαδέλφων* conatus, auctoritate majorum apostolorum abutentes et falsis adeo criminibus ipsum deferentes apud *Ἰουδαίους* Hierosolymae *τοὺς πεπιστευκότας* (Act. 21: 21), certum, si rei veritatem compertam haberent, germanos apostolos non posse non ipsius acta collaudare moliminaque adversariorum judiciis manifestis coërcere. Bene Chrysostomus: „Non *ἀφ' ἑαυτοῦ* Hierosolymam se contulit: nam ipse planissime norat, simpliciter et unice C h r i s t i praeceptis nitendum esse, sed cupiens eos qui dissidebant redigere in concordiam." Sic manifeste apparet, in Wineri scholio certe alterum deficere: non ad arbitrium

---

fecisse, quod *θέλημα τοῦ θεοῦ* esse perspectum habebat, magistri sui instar, qui nihil *ἀφ' ἑαυτοῦ ἐποίει*, sed identidem respiciens in parentem coelestem, quid parens ageret, considerans et *τὸ θέλημα* ejus inde intelligens, idem ipse peragere censebat, volens, sciens, prudens, itaque *υἱὸν τοῦ πατρὸς τοῦ ἐν οὐρανῷ*, id est filium amabilem Dei sese gerebat (Mt. 5: 45. Eph. 5: 1, 2). Quid quod Paulus loquitur (Cor. 2, 3: 5) in hunc modum: *Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν λογίσασθαί τι ὡς ἐξ ἑαυτῶν· ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ.* Non ut nos idonei simus ad rem quandam magnificam cogitandam et meditandam (qualis fuit Corinthiorum conversio ibid. v. 1-4), sed nostra facultas e Deo. — Non est, profecto, extraordinarium quod dicunt Sp. S. donum, singulare nihil *τὸ πνεῦμα τῆς σοφίας καὶ ἀ π ο κ α λ ύ ψ ε ω ς*, quod apostolus Eph. 1: 17. omnibus *τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ* et ubique terrarum, *καὶ πιστοῖς ἐν X. I.* expetivit a Deo. Quicunque autem hoc *πνεῦμα* adeptus fuerit, multa saepe *κατ' ἀποκάλυψιν* facere, suo jure affirmabit.

aliorum, videlicet apostolorum, *οἱ δοκοῦσι στύλοι εἶναι.* Sic 1: 15, 16. *Ὁ θεὸς ἀπεκάλυψεν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί* *))(*οὐ παρὰ ἀνθρώπου ἐδιδάχθην τὸ εὐαγγέλιον, οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλοις* V. 12, 15-17. Hoc autem quod non temere, non sine matura meditatione, quod cum judicio fecit, jam in quaestionem venit, qui possit apostolus dixisse *κατ᾽ ἀποκάλυψιν* factum.

Si qua res latuit omnino aut aliquamdiu nos incertos tenuit ac sollicitos: quum manifesto nunc apparet, quid rei sit et cujusmodi, quid de ea sentire, credere, statuere oporteat; tum *κατ᾽ ἀποκάλυψιν* ea succurrisse nobis dici potest. Quae quidem *ἀποκάλυψις σαρκὶ καὶ αἵματι* imputatur, si hominum gratia vel

---

*) Bene Usterius animadvertit, *τὴν ἀποκάλυψιν* his verbis ab externis sensibus ad internos transferri; dixisset rectius: his verbis doceri, non externam quandam visionem fuisse illam *ἀποκάλυψιν*, sed internam illustrationem, per quam evidens redditum sit, quod usque eo latuerat Paulum. Male idem: „E v. 15, 16 omnino non consequitur, ut Deus immediate Paulo suum filium patefecerit, sed tantummodo, ut ἡ *ἀποκάλυψις* apta fuerit *ἐκ τινὸς εὐδοκίας τοῦ θεοῦ.*" Quod si ita esset, sic scriptum legeretur: *εὐδόκησεν ὁ θεὸς ἀποκαλυφθῆναι*, non *ἀποκαλύψαι.* Ubinam, quaeso, indicium mediationis, ut ita loquar, h. l. reperitur? Sed hac stropha eludere voluit repugnantiam suae interpretationis verborum *δι᾽ ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ* v. 12, ubi genitivum subjecti esse arbitratur et *Ἰησοῦν τὸν ἀποκαλύψαντα* facit, cum v. 16, ubi *Ἰησοῦς ὁ ἀποκαλυφθείς.* Nusquam *ἀποκάλυψις* in N. T. genitivo utitur subjectivo. Sexies occurrit *ἀποκαλ. Ἰησοῦ* sive *τοῦ κυρίου*; at ne semel quidem subjectivus esse videtur. Citat Usterius R. 16: 25. *ἀποκάλυψιν μυστηρίου* locutionem contra ipsum testantem. Luc. 17: 30. *Ἧι ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται.* Alia quidem res est Apocal. 1: 1, cujus ad libri stilum interpretari Paulum religioni equidem mihi duco.

auctoritate compulsi sumus, aut nostra ipsorum libido, proprii commodi studium, amor, ira, nos induxit, ut aliquid opinaremur, decerneremus, moliremur. Si prius: ἀπὸ sive ἐξ ἀνθρώπων actio proficiscitur; sin posterius: ἀφ᾽ ἡμῶν. Jam vero datur tertium, ut ἐξ ὀρανῦ sint sensa, cogitata, facta nostra; nec sane difficile est dispicere τοῖς πνευματικοῖς, utrum τὰ τῆς σαρκὸς φρονῦνται, an τὰ τῦ θεῦ, τῦ πνεύματος (Mt. 16: 17, 23. Mc. 11: 30. R. 8: 5, 6. Cor. 1, 2: 15); haec vero ὑπὸ τῦ θεῦ ἀποκεκαλυμμένα, ἐν θεῷ εἰργασμένα esse persuasissimum habent. Rectissime Scholiasta: „τῦ πνεύματος αὐτῷ ἀποκαλύψαντος)(ὀ σαρκός. Haud fugit nos, per zeugma Mt. 16; 17. σάρκα καὶ αἷμα subjectum verbi ἀποκαλύπτειν factum esse; ubi autem κατ᾽ ἀποκάλυψιν absolute usurpetur, carnem et sanguinem, h. e. hominem, τὸν ψυχικὸν nimirum, non posse intelligi.

Ergo quum Paulus dicit: Ἀνέβην κατ᾽ ἀποκάλυψιν, dicit: nihil curans ullorum hominum auctoritatem et gratiam, ne ipsorum quidem apostolorum (1: 16, 17), nec vero propriae libidini obsequens. Non item negat, τὸ πνεῦμα, ὃ ἔχομεν ἄνθρωποι ἐκ θεῦ (Cor. 1, 6: 19) ab hoc itinere cogitando et suscipiendo abfuisse.

Hac ipsa in causa, si Paulus nihil aliud sibi ab initio permisisset, nisi quod Petri ceterorumque apostolorum approbationem haberet, vel ut audivit, eos aliud quoddam institutum habere, si ad eorum exemplum sese accommodasset: tum προςαναθέσθαι σαρκὶ καὶ αἵματι videretur ejusque evangelium καθ᾽ ἄνθρωπον fuisset. Sin autem per iram cum pseudapostolis litigasset atque eos, a quibus isti sese profectos esse jactabant quorumque auctoritatem praetendebant, non ita probos apostolos esse contendisset, quippe qui

τὴν χάριν τε̃ θεε̃, τὴν σωτήριον πᾶσιν ἀνθρώποις vel parum cognossent vel ab ea defecissent; si denique unum edoctissimum apostolum se crepuisset: tum *ἀφ' ἑαυτε̃* videretur egisse. Id contra quum, *σπουδάζων τηρεῖν τὴν ἑνότητα τε̃ πνεύματος ἐν τῷ συνδεσμῷ τῆς εἰρήνης*, hoc unum maxime omnium praecavebat, ne Christus divideretur (Cor. 1, 1: 13); quum nullus dubitaret, quin si faceret, quod caritas aeque et veritas dictet, ac praesens anquireret cum praesentibus, quid utrosvis deceret, illos apostolos *τῆς περιτομῆς*, ipsos apostolos *τῆς ἀκροβυςίας*, ab uno tamen magistro instructos et legatos, ut suo diverso muneri et officio aequaliter satisfacerent, salva pace et communitate: hoc animi propositum tam rectum, honestum, sanctum esse Paulus perspexit, ut non magis *ἀφ' ἑαυτε̃* quam *ἐξ ἀνθρώπων* esse cerneret, sed divinitus injectum, nihil dubitans, quin ejusmodi coeptum a Deo secundetur.

Haec talia igitur animi sensa, cogitata, decreta *ἀποκαλύψεις* a Paulo unice vocari, usus loquendi confirmat, quamquam ea locutio prorsus absoluta *κατ' ἀποκάλυψιν* alibi nusquam reperitur, nisi Eph. 3: 3, *κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνωρίσθη τὸ μυςήριον.* Cfr. Gal. 1: 12, 16. Rom. 16: 25. Eadem vis est atque potestas Eph. 1: 15, ubi legitur *πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλυψέως τε̃ θεε̃, πεφωτισμένοι ὀφθαλμοὶ τῆς καρδίας εἰς τὸ εἰδέναι,* spiritus sapientiae, cujus est, insitam in animis nostris notionem Dei evolvere, et illustrata mentis acies ad cernendum et intelligendum.

Etiam Cor. 2, 12: 1. illae *ἀποκαλύψεις Κυρίου* optime sic accipiuntur, ut Paulus sublimiores illas et ampliores notiones et cogitationes de re christiana, nullis regionibus circumscribenda, intellectas velit, per quas apostolus gentium, quidquid non universis

hominibus commune atque sua natura commendabile sit, procul esse voluit a divina religione. *) — Cor. 1, 14: 6, 26. ἀποκάλυψις pertinet ad prophetas, hoc est omnes, qui ἀνθρώποις λαλοῦσιν οἰκοδομὴν καὶ παρά-

*) Nimis infinite Usterius ad Gal. 1: 12. ἀποκάλυψιν Ι. Χ. Christianae fidei revelationem esse dicit, quae interpretatio magis obscurat, quam justam lucem fundit. Paulum profecto minime latuit, quid ecclesia, quam infestabat, crederet. Sed tamen societates Judaeorum, Jesum Messiam profitentium, qui omnes ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπῆρχον neminemque recipiebant nisi ὑπὸ νόμον γενόμενον, itaque salutem hominum e sollicita observantia Mosaici juris aptam et suspensam volebant, inutiles esse Paulus censebat nec sine causa verebatur, iis tum populi discordiam seri, tum patriae periculum seditionis adversus rerum dominos creari. Nam pro sua prudentia Messiam, qualem Judaei Judaeis desiderarent, hunc illumve exortum credere, fanaticum erat. Quare licet Petrinam orationem Act. cap. 2, 3-5, ac Stephani cap. 7. aliasque similes audisset, ea conciliabula exstirpanda tum ibat. Sic animatus Paulus haud aliter conciliari potuit Jesu, quam si edoceretur, Jesum non Judaeorum, sed omnium salutem spectare, non ut aliae gentes sub jugum Mosaici juris venirent, sed ut hoc jure, quo stante sacrum odium, exitiabile illud, cessare non poterat, antiquato religionem conderet universis gentibus pariter accommodatam, gratam atque acceptam. Hac ampliore notione Christi, quam οἱ δοκοῦντες στῦλοι ἐκκλησίας nondum adsecuti erant (Act. 10; 34), Paulus impertiendus erat, hoc evangelio instruendus, quod suum saepius dicit, ut pote quod ipsi praecipue commissum esset Rom. 16: 25. cum adnotatione Ammonis, Thess. 1, 1: 5. 2, 2: 14. Eph. 3: 13, 6 sqq. Gal. 1: 8. Mentem vero Deus indidit Paulo, ut intelligeret, ἀπεκάλυψεν ἐν αὐτῷ, talem Christum verum esse suamque personam ἔργῳ καὶ λόγῳ sustinuisse, interea dum Ἰουδαῖοι ne οἱ πεπιστευκότες quidem pares erant Christo tam infinitae amplitudinis et majestatis concipiendo; Ἰουδαίοις autem τοῖς ἀπίστοις eo majus videbatur scandalum Iesus, quo minus opinatis eorum privilegiis inserviret, et quae propria cupiebant. communia faceret.

κλησιν καὶ παραμυθίαν (ibid. 1: 3). Quidquid ejusmodi ex tempore pro re nata ἐπὶ καρδίαν ἀναβαίνει, est ἀποκάλυψις; discernitur autem διδαχὴ, quum quis ea, quae ab hominibus se didicisse conscius est, non ex suo ipsius animo provenisse, refert.

Ubicunque nomen absolutum praepositionem κατὰ cum accus. sequitur, adverbiascit, ac modum et rationem significat qua quid eveniat. Potest quispiam κατὰ σάρκα τι πράσσειν aut κατὰ πνεῦμα, κατ᾽ ἄνθρωπον, ὡς ἀνθρωπάρεσκος, κατὰ γνώμην, προαίρεσιν aut παρά. Negat ergo Paulus etiam hac in re, quemadmodum per omnia, quae postquam in fidem Christi concessisset, fecit ac tulit, sese ulli hominum auctoritati vel majestati obsecutum esse, sed ex uno Deo suspensum et aptum, quidquid ipse apud animum suum Dei voluntati prorsus consentaneum perspexisset, egisse. „Distincte igitur h. l. divinus instinctus ab alia causa discernendus est eique opponendus," id quod Hermannus ipse secundum linguae leges flagitat.

Hoc jam carpendum videtur in Winero, quod eventum aliquem sive φαινόμενόν τι, quale Act. 9: 3. 10: 10. 13: 2. 16: 9. 18: 9. 21: 17, supernaturale supponere videtur citra necessitatem, quum ἀποκαλύψεις naturaliter in omnes homines cadant, si modo πνεύματι utantur, non σαρκινὸς aut ψυχικὸς sese praestent, ac πίςις non desit, hoc est persuasio certa, cogitatum aliquid ejusmodi esse, ut nihil voluntati Dei magis consentaneum fieri possit. Nusquam in Actis notandum est vocem ἀποκαλύψεως usu venire; nec vero res, de qua Gal. 2: 1. sermo est, ita comparatum videtur, ut ἐν ὁράματι sive ἐκςάσει aut κατ᾽ ὄναρ evenisse debeat.

Si quis est ingenio animoque sublimior, meminerit

multa, ad quae nullis aliorum consiliis aut monitis mens conscia recti nonnunquam exhortata est ipsum, utcunque vel voluptates, blandissimae dominae, majores partes animi a cogitatis rebus detorquere vel dolores admotis facibus exterrere conabantur. Haec est illa προθυμία τȣ̃ πνεύματος, σαρκὸς ȣ̓́σης ἀσθενȣ̃ς. Et si talia praeter hominum opinionem adeoque supra suum ipsius votum successerunt, facere non potest, quin sibi persuadeat, ea divinitus, κατ' ἀποκάλυψιν, suscepta esse et peracta, ac dubitare desinit, εἴ τις μὲν θεὸς ὤρορεν ἠὲ καὶ αὐτȣ̃ Θυμὸς ἐφωρμήθη.

Adsentimur omnino Hermanno censenti, eum sensum, qui Winero placuit, exigere, ut rescribatur κατά τινα ἀποκάλυψιν vel potius χρηματισμόν τινα. Quocirca Hermannus aliam interpretationem excogitavit ac Paulum dicere facit, se Hierosolymam profectum esse κατ' ἀποκάλυψιν, scil. τῶν ἀποςόλων, ut apostolis, hac in re coecutientibus oculos panderet, aut rerum, quas tum ignotas, tum rumoribus iniquis et falsis testibus perperam cognitas habebant, certiores faceret. Sed parum cogitavit, quid in ipsum retorquere liceat: hoc si Paulus voluisset, scriptum sit oportere hunc in modum: εἰς ἀποκάλυψιν ἀποςόλων (cfr. L. 2: 32. φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, לאור גוים Jes. 42: 6. 49: 6). Nos contra ipsius Hermanni consiliis monitisque parentes „sensum illum multo usu partum consulebamus, cujus est etiam sine similiter dictorum (adjecimus: narrationum) comparatione, quid possit dici, perspicere." Programm. p. 3. Quare aversamur illas Harmonistarum artes, qui quod ipse Paulus de suis rebus memorat invitis verbis eo detorquent, ut cum Lucae traditione coagulentur.

Hoc iter Paulum Winerus putat anno 52. instituisse

idemque esse, quod Act. 15: 2, 3. narratur. Post illud Hierosolymitanum concilium igitur Petrum Antiochiam se contulisse, ubi tum Paulus quoque versabatur, constat ex hac epistola ad Galatas 2: 11, quod factum siletur in Actis; et interjecto brevi, ut vero simile videtur, spatio viros a Jacobo profectos eodem venisse adeoque Petrum induxisse, ut a fidelibus e praeputio sese dissociaret, Petrum illum, qui, auctore Luca Act. X. et XI. omnium primus convictum habuerat cum Ethnicis, ἐκςάσει illa et voce caelesti edoctus, eorumque patronum acerrimum sese non semel gesserat. Sed hunc eundem Petrum Antiochiae, quo per epistolam ab illo concilio datam Paulus et Barnabas edicta constituta pertulerant comitati ab oratoribus Juda et Sila (Act. 15: 30-32) qui argumentum edictorum viva voce illustrarent et commendarent, paulo post contraria omnia fecisse atque in eam reprehensionem, quae Gal. 2: 14 extat, incurrisse, credat Judaeus Apollo! Ut proloquar quod sentiam, ille Petrus in Actis est fictus, hic, de quo Paulus narrat, verus, historicus. Praeterea Paulus, ubicunque loquitur de ciborum delectu tacuisse non potest, si quae nosset apostolorum de hac causa dogmata, nedum iis condendis pars magna interfuisset. Nusquam vero ipse eam rem ad dogmata quaedam et auctoritatem presbyterii Hierosolymitani, sed ad summam legem caritatis, ut adiaphora omnia, referebat; ciborum autem ullum genus abhorrere, tamquam κοινὸν δι᾽ ἑαυτȣ̃ profanandi ac Deum ab hominibus alienandi potentiam haberet, superstitionis loco ducebat. Quid quod Paulus Petrum ne uno quidem verbulo commonefecit eorum, quae Act. 15: 8-11. professus esset, sed ad Gal. 2: 15-18. cum eo egit, ut qui nondum intelligeret,

quid fides Jesu Christi valeat ad Gentiles humaniter tractandos. Quare fictum esse a Luca illum Cornelium a Petro conversum Act. X et XI, fictum illud concilium Act. XV. arbitramur; non patimur certe, quae Paulus docet vel narrat, ulla interpretationis calumnia affici, ut cum Actis congruere videantur.

Usterius (Commentarii, quem hoc ipso anno in lucem edidit pag. 6) κατ' ἀποκάλυψιν ita vertit: „in Folge einer ihm persönlich zu Theil gewordenen Offenbarung," secundum quandam ipsi personaliter impertitam revelationem. Hoc tamen p. 232, ubi Hermannum refellere conatus est, ita retractat: „Sententia non est: secundum singularem aut peculiarem revelationem; aut secundum revelationem certi cujusdam generis. Quod si deberet intelligi, pronomen τὶς omnino necessarium esset. Cfr. Wineri Gr. §. 25. 2. a." Peccavit ergo Usterius p. 6. contra Wineri Grammaticen — „Immo, pergit, plane generaliter haec res, ut impulsu sublimiori facta, proponitur, et significatum vult apostolus, si non Deus ipsum cohortatus esset, sese hanc communicationem cum apostolis haud necessariam ducturum fuisse." O parum sapientem apostolum, si, quod ut ostendimus supra, unum rectissimum et optimum factu videbat mens humana, dummodo fuerit affectibus vacua, pacis et concordiae studiosa, sprevisset, si non Deus ipsum generaliter adhortaretur! Ceterum destituit nos Usterius, silens, quid intersit inter generalem cohortationem Dei in causa non infinita, et inter specialem. Usterius post Winerum opinatur, Paulum, quem cum Barnaba fratres Antiochiae ἔταξαν ἀναβαίνειν, potuisse nihilominus asseverare, se nullo hominum arbitrio Hierosolymam profectum esse. Potuit omnino, at

non probabiliter: nam ut quis probabiliter, hoc est cum prudentia contendat, se nullo hominum arbitrio certum negotium peregisse, nesciantur homines oportet, quorum arbitrio et jussu hoc negotium gesserit. „Porro, ita finit, *κατὰ ἀποκάλυψιν* est adverbiascens formula, ut *κατὰ ἀκρίβειαν* Act. 22: 3, *κατ' ἀλήθειαν* R. 2: 2.“ Quin adverbiascentem formulam adverbio redditis vos, viri historico-grammatica interpretatione praepotentes! Divinitus Cicero esse scribit, ubi dictis vel actis eventus respondet. „Multa providi divinitus, non mea sponte.“ — „Multa a Crasso divinitus dicta.“ — Multa divinitus a Platone disputata.“ Vid. Gessn. Thes. L. L.

Hermannum castigavit primo, quod nesciat, *ἀποκάλυψιν* in N. T. nusquam explicationis vim ac potestatem habere. Nobis autem Usterius castigandus videtur, qui nesciat, quid apud Classicos latinos explicatio sibi velit, idem quod evolutio sive apud ecclesiasticos scriptores revelatio. Ex. c. Cicero Off. 3: 19. „Si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere,“ i. q. studere, ut ea distincta et perspicua fiat. Pro evolvere Cicero potuit scribere explicare. Idem: „Plane hoc mihi explices, velim,“ i. q. aperias. *Ἀποκαλύπτειν*, גלה, i. q. *ἀνοίγειν*, *φανεροῦν*, oeffnen, eroeffnen. Zuinglius reddere solebat. Nihil ergo impedit, quo minus hanc vocem *κατ' ἀποκ.* ita interpreteris: „explicationis causa, i. e. „ut patefieret.“

Gal. 2: 5. animadvertit Hermannus, ex Act. 16: 3, 21: 20 sqq. constare nonnunquam Paulum opinionibus Judaeorum cessisse. Ergo, „quod visus est „dicere Paulus, se ne horae quidem spatium illis non „genuinis fratribus obsequium praestitisse, id et falsum

„est, nec verba patiuntur propter accessionem articuli, „quo certum obsequium designatur."

Concessit sane multa multis, infirmis τῇ πίςει nimirum, ne quos eorum offenderet et alienaret, sua sponte concessit caritatis et evangelii causa; sed nihil unquam falsis fratribus concessit τῇ ὑποταγῇ αὐτῶ, ita ut istorum auctoritatem agnovisse, istorum arbitrio sese submisisse videretur, quasi leges acciperet ab istis. Fallitur Hermannus, quum putat τὴν ὑποταγὴν h. l. finite vocari obsequium Christo debitum, ac Paulum testari, se ne horae quidem spatium obsequio in Jesum segniorem fuisse pseudapostolis. Sed prorsus indignum erat Paulo se conferre cum istis, ut quem non exsuperarent officiorum integritate δόλιοι ἐργάται, οἵτινες ἐκαπήλευον τὸν λόγον τῶ θεῶ, περιπατῶντες ἐν πανυργίᾳ, μεταςρέφοντες το εὐαγγέλιον τῶ χριςῶ etc. Gal. 1: 7. 5: 10.

Articulus substantivi a verbo causativo derivati postulat objectum, quod a verbo enuntiati justissime repetimus, h. l. εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ scil. ἡμῶν εἰς δυλείαν τύτοις.

Nemo Act. 16: 3. compulit Paulum, ut circumcideret Timotheum, sed studens Timotheum apud Judaeos, qui nondum Christi religionem suscepissent, aditum invenire et opportunitatem evangelii tradendi, eum circumcisum voluit volentem, quod plus quam probabile est, filium Eunices Judaeae. Ceterum de rebus, quas indicis more magis consignavit Lucas, quam enarravit, non ita aequum videtur, Paulum in jus vocare, qui si referret ipse, res aliam fortasse faciem et rationem haberent. Nec vero Act. 21: 20 sqq. cessit Paulus opinionibus Judaeorum. Semper enim Paulus inter Judaeos, in Palaestina praecipue,

Judaica sacra, ritus et mores obibat pro sua ipsius sententia, *ὅτι ὀφειλέτης ἐςὶ πᾶς ἄνθρωπος περιτετμημένος ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι*, atque e re sua erat, falsum illud crimen, *ὅτι ἀποςασίαν διδάσκει ἀπὸ Μωσέως τὸς κατὰ ἔθνη Ἰουδαίους*, factis coarguere. Quae si reputamus, nihil est quod offendat in Paulo, qui facere consuevit, quod est apud poëtam nescio quem: Temporibus mores sapiens sine crimine mutat. Attendere debebat Hermannus, hoc loco negotium fuisse apostolo cum viris, qui jubebant circumcidi, quicunque de gentibus evangelium amplecterentur. Istis fortiter Antiochiae Paulus restiterat; quumque similes apud Galatas exorti essent, quo magis eos obtunderet, propterea cum emphasi dicit: *οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν*, ubi respici debent Gal. 2, 3: 4. haec verba: *οἱ ψευδαδελφοὶ παρεισῆλθον*, insidiose, nullo suo jure, *ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας* nimirum in ecclesiam e Gentilibus a Paulo collectam Antiochiae.

Gal. 2. 16. Winerus: „Hunc locum variis modis tentarunt interpretes. Schulthessius quidem *ἐν παρόδῳ* (vid. ejus doctrina eucharistiae p. 17.) dicit, Paulum scribere voluisse: *ἀπὸ τ. δοκούντων* — — — *οὐδὲν ἐγὼ διαφέρω*, nihil ab illis differo, hoc est: iis nihil cedo, par et aequalis sum. Sed quod addit, Paulum pro genitivo *δοκούντων* potuisse *ἀπὸ τ. δοκ.* ponere, id gratis sumsit vir doctus." Quasi non saepenumero Hellenistae *ἀπὸ* c. genitivo usurpent, ubi Graeci solum adhibent genitivum, ex. c. Pet. 1, 3: 9. *παύεσθαι ἀπὸ κακοῦ*, conf. 4: 1. R. 6: 18. *ἐλευθεροῦν ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας*. 7: 6. *καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου*. Conf. 6: 6. — *ἀπέχεσθαι ἀπὸ τ. πορνείας*. Thess. 1, 4: 3. 5: 22. Act. 15. 20. conf. ibid. v. 29. Tim. 1, 4: 13. Pet. 1, 2. 11. — Mt. 27: 14. Act. 20: 26. *καθαρὸς ἀπὸ τοῦ αἵματος*. Unde

hanc regulam non gratis, opinor, colligebam, Hellenistas verbis et adjectivis genitivum per ἀπὸ annectere solere, quae Graeci cum solo genitivo construere solent. Apud Latinos certe classicos utrumque reperitur. Nihil differo ab illis. Cicero Phil. 8: 11. Homines hoc uno plurimum differunt a bestiis. Fin. 2: 14. Offic. 1: 27. Differre vestitu ab aliquo. Phil. 8: 32. Qui hoc ab illo differt? Pro Caecina 39. Ergo non ita gratis hoc sumsimus; gratis vero Winerus hanc locutionem sumsit: ἀπό τινος προςανετέθη μοι, nullo exemplo, quod ejus usum probaret: nam hoc anacoluthon est commentus: „Voluit scribere Paulus: Ἀπὸ *) τ. δοκoῦν-

---

*) Ἀπὸ h. l. significare dicit a parte Usterius, quemadmodum Jac. 1: 13, laudans Wineri Gr. p. 318. de ἀπὸ pro ὑπὸ et παρά. Scimus ἀπὸ sic usu venire, ut a parte, nomine significet, ex. c. apud Aeschinem, de F. Leg. 27, attamen non a verbo passivo aptum, sed a nomine aliquo, ut ἐνδεκάτου ἀπὸ τῶν συμμάχων, Matth. 26: 21. εἷνα ἀπὸ τῶν δύο. Argutias agit Winerus Jac. 13: 1. ita torquens: ἀπὸ Θεοῦ πειράζομαι, a parte Dei tentor; non Deus est auctor, causa efficiens tentationis, sed fons, de quo tentatio mei hauritur et importatur mihi a nescio quo tertio. Continuo enim sequitur: ὁ Θεὸς πειράζει οὐδένα, cujus contrarium πειράζεταί τις ὑπὸ Θεοῦ. Ὁ Θεὸς αὐτὸς πειράζει, ut Jacobus adfirmat, non ita licet accipere, ut Deus ipse immediate neminem tentet, sed mediate, ita ut ab ejus parte, ejus nomine tententur homines ab Satana quodam, ut Hiobus vel Achabus Reg. 1, 22: 19-23. Alia quadam ratione quaestio solvenda est. Videsis Schulthess Epistolam Jacobi etc. 1824. p. 26 sqq. — Cor. I, 11: 23. temere defendit Winerus lectionem deteriorem ἀπό. Sicut ἐγὼ παρέδωκα ὑμῖν αὐτὸς, sic παρέδωκέ μοι ὁ κύριος αὐτός. Nam quemadmodum Paulus τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' αὐτοῦ οὐ παρέλαβε παρὰ ἀνθρώπου, sic partem illam evangelii de sacra coena tradendam οὐ παρέλαβεν παρὰ ἀνθρώπου. Sed tamen accepit ab aliquo. Ergo nullo internuntio, nullo ut ita loquar canali, acceperit necesse est, παρὰ τοῦ κυρίου, non ἀπὸ, non manu alterius vel tertii.

των — — — *ὀδὲν προσανετέθη:* Interposita autem verba in causa fuerunt, ut structuram mutaret." Usterio magis arridet e Grotio: *ὀδὲν προσελαβόμην*, nihil accepi." Sed ubinam, quaeso, *προσλαμβάνεσθαί τι* hoc sonat: addiscere aliquid? Secundis ego curis intellexi errorem in eo, quod me fugisset, locutionem *ὀδέν μοι διαφέρει*, non pati ut genitivus sive solus *τότων* sive per *ἀπὸ* adhaereat. Videatur copia exemplorum, quam Wetstenius congessit! At vero Hermannus: „Dicta haec sunt ea figura, quam aposiopesin vocant. Quod si plene enuntiantur, hoc dicit: Ab illis autem, qui principes credebantur, quid metuerem? Quiqui illi fuerunt, etiamsi ab ipso Christo instituti, perinde est: personam hominis deus non respicit. Mihi enim illi nihil mandarunt."

Nos vero nunc videmus hic anacoluthon, atque quod ita Paulus orditur, *ἀπὸ δὲ τῶν δοκόντων*, sic integramus: *ὀδὲν προσέλαβε ἢ προσέμαθον ταῖς ἐπιστήμαις, παρ' ὅ αὐτὸς ἐγὼ παρέλαβε παρὰ τῦ κυρίυ.* Tum commate sexto post parenthesin, quod praesectum est alio quidem casu iteratur *οἱ δοκῦντες*, ac verbum subjungitur *προσανέθεντο*, ita ut eadem exeat sententia: cujus modi anacolutha Cicero aliique scriptores classici de industria formare solebant. Particula *γὰρ*, in qua Usterius haesit, significat, cur nihil Pauli referat, quanticunque fuerint apostoli majores aetate, atque unde manifestum sit, Deum personae nullum habere respectum. Nam vera dignitate et auctoritate excellentes praecipuum aliquid et amplius meliusve habuissent, quod cum Paulo communicarent ad munus apostoli sua in provincia inter gentes rectius gerendum; falsam ergo esse opinionem, eos tempore quidem principes apostolos melioris notae esse, Paulo anteponendos. Utut enim, quicunque ab

illis triumviris vel duodecimviris edocti erant atque instructi ad ministerium evangelii, discipuli omnem auctoritatem, quae magistris debetur, iis deferrent: at Paulo, qui praeter eos nulla hominum ope vocatus ac separatim ad evangelium in gentes differendum eruditus et subornatus erat, nihil nec dignitate nec meritis praestabant.

Unde Hermannus suam aposiopesin: quid metuerem ab iis? conceperit, non liquet; nec verum videtur, quod putat, „ostendere Paulum, multum se tribuere viris illis primariis" Nam principatum quendam ex eo, quod ante ipsum sint apostoli facti, non concedit Petro, Joanni, Jacobo, quum negat, Deum *πρόςωπον λαμβάνειν*; nam aetatis quoque discrimen notione *τȣ̃ προςώπȣ* continetur. Mt. 19: 20. 20: 1-16. Primi hoc nomine fuerunt illi duodecim, sic tamen ut *ἔσχατοι* fieri possent, a Paulo ex. c. superari, *τῷ ἐσχάτῳ καθ' ἡλικίαν*, qui tamen *περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασε*. Manifesto cernitur, immodicae opinioni, quam de illis Petrini, Jacobini serebant, ut Paulo detrectarent, apostolum nostrum occurrere. Ipse profecto illos non *τȣ̀ς ὑπερλίαν ἀποςόλȣς* habebat, non primarios, ita ut sese pro secundario aestimari pateretur; nec vero auctoritate utitur eorum, ut vera esse quae doceat, recta quae agat, evincat; imo tradit, sese veritatem, sinceritatem, integritatem suae doctrinae illis plenissime approbasse, ut nihil contra haberent, nihil amplius aut melius callerent; ex quo luce clarius appareat, quam nauci nihilique sit, quod horum magistrorum discipuli criminentur. Gal. 2: 12. Priusquam Jacobini Antiochiam venerunt, quum Petrus ibi non dedignatus esset suo convictu gentiles, *ὅτε δὲ οἱ ἀπὸ Ἰακώβȣ ἦλθον*, tum demum se subtraxit. Unde manifestum est, Lach-

manni recensionem ἦλθον cum ἦλθεν mutantis absurdam esse, quam Hermannus, nescio quibus praestigiis captus, sicut synodus Tridentina Vulgatam, sacrosanctam habere videtur. Videantur judicia de hac recensione in Ephemeridibus Hal. universae literaturae n. 52-54. hujus anni, et in Roehrii Bibl. Crit. Vol. 14. p. 445. sqq.

Ibid. v. 15. „Sequitur ipsa disputatio, qua refutat Paulus eos, ad quos scribit. Nam etsi, quae hinc usque ad finem capitis leguntur, ita sunt comparata, ut ad ea, quae se Petro dixisse ait, pertinere possint: tamen nec, si ita esset, ἡμεῖς satis recte dixisset, quod dicendum erat καὶ ἡμεῖς, et aptius videtur, quum haec ad refellendum errorem Galatarum spectent, his ea explicari; sic autem recte se habet ἡμεῖς. Sed verba illa interpungenda sunt hoc modo: Ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί· εἰδότες δὲ — Ἰησοῦ, καὶ ἡμεῖς — νόμου, ὅτι — σάρξ. In illis quae prima sunt verbis omissum est ἐσμέν." Hermannus.

Malus profecto est orator, qui postquam suam objurgationem cujusdam retulit, continuo pronomen ἡμεῖς eloquitur idque sic definit, ut in ipsum oratorem et virum quem corripuit pariter cadat, nullo plane indicio, se jam hunc missum fecisse et homines nunc petere prorsus alios atque diversos: fieri enim non potest, quin plerique omnes auditorum rem secus intelligant, ac ipse volebat. Quid est, quod v. 15. non eum in modum ordiatur, quo 3: 1?

Deinde Hermannus opinari videtur, Galatas, ad quos Paulus scripsit, universos vel maximam certe partem φύσει Judaeos fuisse, quo falsius nihil.

„Quod dicendum erat," utique dixit apostolus v. 16. Sed quae ad errorem, in quem Galatae

inducti erant, refellendum conducebant, nervosius et gratiosius inferre non poterat Paulus, quam per Petri corpus eos petendo, qui gentiles, in quibus etiam Galatae erant, per Judaicam superbiam contumelia affecisset. Nec profecto decebat Paulum, nisi Petrum socium adsumsisset pronomine ἡμεῖς, et coram Judaeis, τοῖς μὴ ὀρθοποδοῦσι, v. 14. verba fecisset, ex eorum opinione et mente, non ex sua, sic loqui: Ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, quae verba cum v. 16. unius sunt periodi. Μὲν potius omissum est, ut persaepe fit apud Classicos sequente δέ. Incommode ante εἰδότες nostro quidem judicio ponitur colon. Nos, inquit Paulus, quamvis Judaei — attamen quum intellexissemus — etiam nos in Christi fidem contulimus. Perperam ergo suffragans Usterius interpunctioni, quam Hermannus commentus est, cum Hermanno subintellectum opinatur ἐσμέν. Nec vero ad claritatem proficeret quidquam καὶ ἡμεῖς ab initio v. 15, officeret orationis ponderi; καὶ ἡμεῖς autem medio versu 16. vim trahit ex antecedentibus: ἡμεῖς — χριστοῦ: vel sive adeo nos, qui more patrio et pro ea religione, qua imbuti eramus ἀπὸ βρέφους, nos ἁγίους esse arbitrati sumus atque ἐξ ἔργων νόμου δικαιουμένους. Usterius nihil ad liquidum perducit, quum dicit: „Hoc videtur non absolute necessarium;" et: „Quaeritur." — Parum considerate Grulichus quoque in hanc sententiam Hermanni discessit, item 3: 1, ubi nihil habet contra ejusdem interpretationem ita reddentis: „Quis vos fascinavit, quibus ante oculos praedictio fuit Christi in crucem sublati," nisi hoc unum: Pro praedictio Christi scribendum est de Christo. Nam Genitivus personae ex hoc nomine aptus subjectum, non objectum significare solet."

Gal. 2: 19. Hermannus διὰ νόμυ νόμῳ ἀπέθανον breviter dictum putat pro διὰ νόμυ, ὃν κατέλυσα, νόμῳ ἀπέθανον. Nostram explicationem supra dedimus; juvat addere hanc Usterii: „Causam suae mortis vitium „dicit, legem autem mortis conciliatricem, vernacule „Vermittlerinn. Lex me vitii nomine addixit morti, „ad mortem me damnavit. Hac morte autem affectus „sum cum Christo, qui supplicium nostra vice obiit, „ita ut eo et cum eo, qui mortuus est pro omnibus, „omnes mortui simus. Quoniam ergo legalem mortem „ego pertuli, lex suam potestatem in me amisit; ego „autem sic per legem legi subtractus sum.“

Ponamus hominem jure quodam et lege, ut Mosis, capitis poena plectendum ex. c. quod feriarum die ligna legisset (Mos. 2, 31: 14. 4, 15: 32), propterea quod alius pro sonte necem passus esset, immunitatem non commissi modo sceleris impetrasse, sed etiam omnium flagitiorum et scelerum, quae per spatium vitae futurae vel longissimum commissurus esset, ita ut lege nulla teneretur! Jam, quaesumus, διά τινος, cujus ope, beneficio, merito iste ἀπέθανε τῷ νόμῳ? Quicunque non insanus est, respondebit: illius merito unius, qui pro sonte vitam impendit; universi autem homines exsibilaturi essent, si quis censeret, nocentem legis beneficio immunitatem omnium rerum invenisse; ne tum quidem, si qua lege concessum esset, ut nocens dimitteretur, pro quo quispiam insons ad supplicium sese obtulisset. Sed ejusmodi concessionem neque e jure Mosaico neque ex aliquo jure civili expromere potuit. Temere ergo Usterius Paulum dicere facit: legis beneficio se lege exemtum esse, postquam pro se Jesus debitum supplicium luisset. Sed porro quaesumus, ubinam gentium lex est data, per quam nocentes

non solum salvi et incolumes evadunt, dummodo insons aliquis pro innumeris nocentibus supplicium luerit, verum ea conditione semel impuniti discedunt, ut in aevum licentia fruantur contemtis legibus quodvis nefas patrandi? Attamen quae vecordia, barbaries, immanitas nimis horrenda videtur, quam quod ullum jus judiciumque humanum recipiat, eam Deo imputare, bellissimi Theologi nostris temporibus non dubitant. Si quid aliud, ut libere loquar, haec talia profiteri est βλασφημεῖν τῷ θεῷ. Mentiuntur, qui Jesum et apostolos ita docuisse jactitant. Ἐθανώθητε τῷ νόμῳ, vos abdicastis lege positiva, Paulus Rom. 7: 4, dicit, non διὰ τȣ̃ νόμȣ, vi legis positivae, sed διὰ τȣ̃ σώματος Ι. Χ. Triumphus de lege positiva, quae vitii est potentia, libertas ab ista lege nobis contigit διὰ Ι. Χ. Cor. 1, 15: 57. Thess. 1, 5: 15. Quovis pignore contendimus, nullam vocem in litteris sacris inesse, ubi ὁ νόμος, proprio sensu, vindex noster ab semet ipso dicatur; ubi extent haec ipsa verba vel argumento similia: κατηργήθημεν διὰ τȣ̃ νόμȣ ἀπὸ τȣ̃ νόμȣ, ἐν ᾧ κατειχόμεθα. Vid. R. 7: 6. Per antaclasin, qua Paulus etiam alibi usus est (vid. Rom. 3: 31 cum annotatione Koppii et Rosenmülleri) facillime hoc dictum reseratur, ut supra videre licet.

Πρωθύςερον ἔργον mea sententia esse illud Paulinae doctrinae systema, quod Usterius admodum adolescens consarcinavit, aliquot annis abhinc in noviss. Annal Theol. 1829. pag. 504-552. significavi ac modo non declaravi, hoc consilio dato scriptori, ut litteras Paulinas, qua possit subtilitate ac diligentia hermeneutica ipse pertractaret, nihil sollicitus de dogmatis vel retinendis vel novandis, ab omni hominum auctoritate solutus, ac tum demum comparatas ita copias

insumeret instaurando labori. Jam laetati fuimus primum, dum audimus commentarium in epistolam ad Galatas ab Usterio confectum esse; expectationem autem totus fefellit, quoniam versata opella compertum habemus, id egisse interpretem, ut ad systema, quod prius ipse designavit, Pauli verba et sententias detorqueret, non ut hoc systema praecox exigeret et corrigeret ad interiorem Pauli notitiam et familiaritatem; itaque comperimus, juveniles animos studiis dogmaticis semel occupatos atque in verba systematis vel alieni vel adeo sui juratos eam integritatem sibi corrupisse, sine qua volumina sacra recte intelligi probeque explicari aeternum non possunt. Hinc tanta raritas justorum exegetarum, σωφρόνων. Hinc Werenfelsius materiem et causam reperit notissimi illius epigrammatis: „Hic liber est in quo sua quaerit dogmata quisque etc." Non est in culpa librorum sacrorum λοξότης quaedam, non artium grammaticarum et hermeneuticarum instabilitas, ἀπειρία et ἀμφιβολία, sed hominum impia perversitas qui abutuntur litteris sacris, ut sua dogmata quaerant, nullasque praestigias parcunt, quin veritas dictorum non cernatur, liquere contra sua dogmata videantur. Nam hoc ipso loco ideam arcessit „vicariae mortis Christi quum juridico sensu, quo poenam luit" (quae satisfactio est illa dialectici Anselmi ex undecimo seculo recocta), „tum ethico-symbolico sensu, quae typica repraesentatione continetur," a doctissimis theologis nostri aevi exculta, ut unum saltem nominem, a de Wette, in Dogmatica eccl. Lutheranae §. 73. a, b. Sic ea dum confundit, quae secum constare nullo modo possunt, notiones juridicas et ethicas, ab utrisque gratiam captabat, a viris et obscuritate et luce gaudentibus; etsi ad illos, ut ma-

jores numero et opulentiores magis magisque inclinasse videtur. Hinc satisfactioni vicariae primas partes dedit, ethico-symbolicae repraesentationi secundas. Nos quidem abstinentes phraseologia scholastica mortem Christi censemus esse παραδειγματικὴν, sua morte Christum proposuisse suis exemplar, unde cognoscamus τὴν ἀγαπὴν erga homines simul et τὴν ὑπακοὴν erga Deum quid valeat (Jo. 1, 3: 16. Jo. 15: 13. Eph. 5: 2. Phil. 2: 8) quod imitans quisque, hoc est vitam vero impendens, πᾶς ὁ πάσχων διὰ δικαιοσύνην καὶ νεκρῶν τὰ μέλη ἑαυτȣ̃ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, μισῶν τὴν ψυχὴν αὐτȣ̃, quotiescunque animi bona in discrimen veniunt optioque datur utrum velimus fortunas, voluptates, commoditates corporis, adeoque corpus ipsum perdere, an innocentiam, honestatem, pietatem missam facere, perpetuitate vitae beatae potitur. Quod quidem nemo unquam fecerit, nisi quum persuassimum habeat, eam pietatem, fidem, obedientiam, quam Christus coluit μεχρὶ θανάτȣ, θανάτȣ δὲ ϛαυρȣ̃, unam rectissimam et perfectissimam esse, in Jesum spectet τὸν τῆς πίϛεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν et vestigiis pro virili consequatur Jesum. Huc omnia facile redeunt, quae Jesus et apostoli de morte Christi quum proprie tum tropice et figurate docuerunt.

Gal. 3: 1. *Κατ' ὀφθαλμȣ̀ς* — προεγράφη, scripsit Paulus; scribere potuit: πρὸ ὀφθαλμῶν — προεγράφη, sicut Aeschines de falsa leg. p. 213. πρὸ ὀφθαλμῶν — προφαίνεται. Male ergo prioritatem temporis hac praepositione significari putat nonnemo: nam praesens illud sit necesse est, quod κατ' ὀφθαλμȣ̀ς γεγραμμένον dicitur; nec meminimus usquam legere: hoc ante oculos litteris exaratum est, sed ante oculos propositum est, tamquam in tabula picta, λέξει παθητικῇ τε καὶ ἠθικῇ, καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι ἀναλόγῳ,

ut Aristotelis utar verbis. Mysterium, quod Paulus *ἐν τοῖς ἔθνεσι ἔμελλε γνωρίζειν*, est Christus in iis Col. 1: 27. Hoc mysterium dicit R. 16: 26. *εἰς πάντα τὰ ἔθνη γνωρισθέν.* Ergo *χριςὸς κατ' ὀφθαλμὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν* hoc sibi vult: Christus ut non animis modo, sed prope oculis obversetur, expressis verbis depinximus eum *συνοικειωθέντα ὑμῖν εἰς ἀδελφότητα* supplicio crucis, quo desiit esse *ὑπὸ νόμον γενόμενος* et purus putus homo factus est, Judaismo exutus; non arctius jam Judaeis conjunctus quam vobis gentibus, propter vos, gentes, cruci suffixus: nam Judaeis crux scandalo magis est, quam ut iis approbet Jesum esse Christum. Heumannus ad Col. 1: 27. „Quod dicit Paulus *ἐν ὑμῖν* spectat in gratiam Dei, pro qua cum gentibus quoque Christi religionem communicatam volebat.“ Bene Scholiasta: *Προεγράφη· προεζωογραφήθη διὰ τῦ κηρύγματος.*

Vim hujus locutionis non pervidit Usterius, qui hebraicum nonnisi pleonasmum vidit, אשר בכם, nec Hermannus qui cum Lachmanno hanc vocem expunxit. Hac enim in re Paulus *τὸ μυςήριον τῆς εὐσεβείας* identidem ponebat, *ὅτι ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσι*, R. 16: 25 sq. Eph. 3: 3, 6, 7. Col. 1: 26 sqq. 4: 3. *) Idcirco enim

---

*) Plus nimio argutatur Winerus, quum significationem vel sensum causalem et finalem, quem praepositio ἐν ex Hebraismo contractum habet, exterminat, utut non significatio sit princeps, sed rite quidem derivata: nam status, habitus, conditio, affectio, in qua quis versatur, causa fieri solet, quapropter aliquid vel agat, vel patiatur; id quod intellexerant grammatici et lexicographi dudum ante Wineros natos. Hoc loco infinita erga homines omnium gentium benivolentia, in qua infuit Jesus, ἡ ἀγάπη, ἐν ᾗ ἔμενε, quasi habitabat (Jo. 1, 4: 6), per quam filium hominis, non Davidis et Israelis se gerebat, hominem esse censens quasi partem

Paulus Judaeos infestos habuit accusatores, non quod praeconem Christi ageret, sed quod Graecos in ejus partem et societatem vocaret; idcirco Caesareae et Romae in vinculis fuit, dum apostoli circumcisionis Hierosolymis intacti et quieti degunt.

Quater hoc verbum in N. Test. occurrit: Rom. 15: 4, ubi lectionem incertam esse Critici docent. Equidem primo loco simplex ἐγράφη sufficere censeo, sicut 4: 23. ἐγράφη, 3: 19. λέγει, non προλέγει. Secundo autem compositum verbum hanc notionem habet adjunctam: eo consilio scripta sunt, ut omnis exempli documenta in inlustri posita monumento intueamur, ut inde quod imitemur capiamus. Ergo προγεγραμμένα, literarum monumentis ad intuendum proposita, non praescripta sive praedicta. Male Bretschneiderus: „olim scripta." Eph. 3: 3. προέγραψα non est: scripto praedixi, sed: paulo ante, supra scripsi. Gal. 5: 21. προλέγειν, denunciare, ut Erasmus; sive pronunciare tamquam edicto: nam bene Fischerus: „πρὸ in plerisque verbis compositis habet vim praepositionis Latinorum pro, quae fere idem valet quod porro ac de iis omnibus fere usurpatur, quae fiunt, dicuntur, ponuntur publice et ita, ut conspici vel audiri ab omnibus

---

quandam civitatis et universi generis humani, eumque esse conjunctum cum hominibus humana quadam societate (Cic. Acad. 1: 5), haec infinita ejus benivolentia causam dedit Judaeis, separatae cujusdam a reliquis hominibus societatis privilegia sibi vindicantibus, ipsum tamquam proditorem patriae gentis internecino odio persequendi. Jesus igitur propter gentes cruci suffixus est, ac pro gentibus, ut facto constaret, ipsum ἐν αὐτοῖς esse (Jo. 17: 21) non minus quam in Israelitis, e quibus fuit τὸ κατὰ σάρκα, Jesum communitatem cum iis habere (Jo. 1, 1: 3), utpote ἐξ ἑνὸς ὄντα cum universis hominibus. Hebr. 2: 11.

possunt, ut omnibus in notitiam veniant. Sic *προεῤῥεῖν* et *προαγορεύειν* de praeconibus, pronunciatoribus, non praenunciis apud Herodotum; *προλέγειν ἀγῶνα* apud eundem et Xenoph. Sic *πρόγραμμα* edictum." *Προφήτης* non qui praedicit, futura nunciat, sed generatim qui publice, ad populum verba facit (Cor. 1, 14: 3), in vulgus proloquitur, quidquid illud est; professor. — Jud. v. 4. *προγεγραμμένοι εἰς κρίμα*, non praescripti, sed proscripti, quo nomine vocabantur, quos tabula publica indicavit capitis damnatos, mercede percussoribus proposita; ergo homines, quos propalam damnatos, non olim damnandos, certissimum manet supplicium. Hinc Augustinus et Hieronymus ad Gal. 3: 1. „proscriptum intelligunt Jesum a Judaeis, id est condemnatum, qui hereditatem possessionemque suam amiserit, his utique auferentibus eam dominumque inde expellentibus, qui ex gratia fidei, per quam Christus possidet gentes, ad legis opera eos qui crediderant revocabant, auferendo illi possessionem suam." Videatur Erasmus, qui egregie hunc locum pertractavit. Apud LXX hoc verbum non reperitur, semel et iterum apud apocryphos, Esdr. 3, 6: 32. *προγεγραμμένα* edicta; Macc. 1, 10: 26. *προγραφήτωσαν — εἰς τὰς δυνάμεις*, conscribuntor — in copias militum; quemadmodum Arist. Oecon. 2. *χορηγοὺς προέγραψε*, choragos conscripsit, ubi etiam *καταγράφειν συνωνυμικῶς* usu venit. — *Γράφειν* pro *ζωγραφεῖν* de personis, ex. c. *πλάττειν ἑαυτὸν καὶ γράφειν*, tirones norunt graecarum litterarum; sed hanc pingendi notionem an compositum quoque verbum admittat *προγράφειν*, in dubium vocat Hermannus. *Καταγράψαι* certe Parrhasius dicitur a Pausania, Zeuxis ab Aeliano; et nostro quidem judicio nulla non significatio verbi

simplicis ad omnia composita pertinet, si quidem praepositio eam facile patitur. Nihil haberet reprehendere Hermannus, si legeretur apud Paulum: πρὸ ὀφθαλμῶν κατεγράφη, non ita: κατ᾽ ὀφθαλμὸς προεγράφη. Quam diversitatem in collocandis praepositionibus tanti non ducimus, ut ex ea sensus loci tentetur; et vidimus modo synonyma fere esse καταγρ. et προγράφειν. Graeci certe commentatores hunc in modum acceperunt verbum προγράφειν, quasi depictum aliquid ob oculos ponere. Quibus certe, opinor, Hermannus non abjudicabit „sensum illum multo usu partum, cujus est etiam sine comparatione similium locorum quid possit dici perspicere.“ Jam vero hic ipse sensus recusat verbo προγράφειν significatum tribuere praedictionis; recusat istam locutionem probare: quibus ante oculos fuit praedictio Christi. Quam crebro Evangelistae et Apostoli oracula laudant quae Messiana dicuntur; sed ἐγράφη περὶ αὐτοῦ scribunt, nusquam αὐτός, et nusquam oraculum extat de Christo cruci suffigendo.

Gal. 3: 11, 12. „Quod dicit apostolus, per legem neminem probari Deo, propterea manifestum esse, quia justus per fidem probetur; lex autem non sit fidei adstricta, sed qui legem observet, per legem probetur: id sic demum verum est, si probari per fidem est vere probari, probari autem per legem non est vere probari. At id omisit.“

Hoc loco facile permittet Hermannus, ut prius comma per sese excutiamus, quod corollarium est eorum, quae Paulus supra disputavit v. 5-10. Si probum ex fide liquet eum esse, qui vitam agat vitalem, beatam, quum vos ipsi quoque expertum habeatis, τὸ πνεῦμα καὶ ἐνέργειαν facultatum vobis insitarum ἐξ

ἀκοῆς πίςεως, non ἐξ ἔργων νόμȣ adepti, et acceperitis Abraami probitatem fide spectatam esse, non certis operibus, quae lex aliqua positiva praescripsisset; quumque lex ipsa declaret, omnes qui ex operibus hoc genus innocentiam aucupentur atque inde ipsos evadere probatos confidant, obnoxios esse execrationi, si quidem omnium nemo, quamvis ζηλωτῶν fidem facere sibi et praestare potest, se ἐμμεῖναι καὶ ἐμμενεῖν ad postremum spiritum ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τȣ̃ νόμȣ, τȣ̃ ποιῆσαι αὐτά: e contrario certum est; legis positivae cultu neminem probari Deo. Anticipatum est ergo, non omissum, quod requirit Hermannus. Eodem modo Paulus Rom. 10: 5-10 duas diversas inducit probitates, alteram opinabilem, τὴν ἐκ τȣ̃ νόμȣ, alteram veram, τὴν ἐκ πίςεως. Illius praeco est Moses, quum scribit, si quis omnia suae legis praecepta maxima, minima tenuerit, eum vitae beatae compotem fore; quam quidem probitatem ex factis et operibus neminem mortalium consequi posse, itaque nullam dari, sua cuique conscientia et omnis experientia testatur. Altera probitas fide cernenda, cujus auctor est Jesus, non ita superat modum facultatis humanae; imo sita est in pectore nostro et ore.

Verum tamen hinc progressi ad comma 12. non possumus non haec verba nostro scriptori prorsus absona dictu, si non sensu, censere. Nam qua sermonis lege dici queat: Ὁ νόμος ȣ̓κ ἔςιν ἐκ πίςεως, me omnino fugit: haud enim ὁ νόμος et ὁ ἐκ τȣ̃ νόμȣ unum idemque sonant. Nemo sane non infans dixerit νόμον ἐκ νόμȣ ὄντα legem legalem, πίςιν ἐκ πίςεως fidem fidelem. Deinde qui sua ex mente et sententia, tamquam Moses (R. 10: 5.), scribere potest Paulus: ἀλλ' ὁ ποιήσας — ζήσεται? Ellipsin autem fingere, qualis

esset: ἀλλ' ὁ νόμος sive ὁ ἐξ ἔργων νόμȣ οἴεται, ὅτι, aut ἀλλὰ Μωσέως ἀκȣ́ει λέγοντος· ὅτι ὁ ποιήσας etc. non sinit humani sermonis natura. Sed vel sic emendata legentes ista nihil juvant praeterquam fatuos; at vero quae per se intelliguntur ab hominibus non adeo imperitis, optumi quique scriptores praetermittere solent. Ceterum hoc comma si omiserimus: nemo quidquam in disputatione apostoli desiderabit; quare nos persuasum habemus, ista supervacanea et inepta scholiasten aliquem male feriatum infarsisse.

„Omissa autem hac sententia, sic pergit Hermannus, concidit totum argumentum, quod nunc hujusmodi est: non probatur homo deo per legem: nam fidelis per fidem, legis observator per legem probatur. Ex quo quid sequitur, quam probari utrumque, sed propter causas diversas.“ Concedere debet, quicunque comma 12. γνήσιον putat; Usterius autem vel parum sensit vel dissimulat nervum objectionis Hermannianae; attamen hoc adsentitur, „explicandi causa versus 11 et 12 insertos esse, non pertinentes ad ipsam demonstrationem,“ nec diffitetur, istam explicationem indigere lucis e versu 10. repetendae. Paullo (imo justo) obscuriorem esse v. 12. jam Koppius sensit. Sed annon mala est ejusmodi epexegesis, cui illustrationem anquirere necesse habent exegetae? Accedit, quod versus 10 et 13. arcte cohaerent his verbis: Ὅσοι ἐξ ἔργων νόμȣ εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσί. Χριςὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας. Qui nexus duobus versibus insertis, qui si abessent non deessent, moleste dirumpitur. Quas ob causas, ut tandem proloquamur, quod sentimus, hos ambos versus an Paulus consignaverit, vehementer dubitamus.

Admodum dolemus, quod Hermannus non sine

praejudicata in deterius opinione litteras versabat Paulinas, quasi noster apostolus una cum ceteris N. T. scriptoribus non piorum simpliciter, sed etiam religiosorum hominum numero ducendus esset, „quorum animi potius inexplicabilibus quibusdam sensibus moveantur, quam perspicue quidque distincteque „cogitatum dispiciant." Ex quo venit, ut nimis facile insulsis commentatoribus crederet, passim fundere Paulum, ut hoc hominum genus, inexplicabilem quendam sensum, nec perspicue quidpiam distincteque cogitatum dictis ejus subesse. Quid mirum, si quae inexplicabilia esse suspicamur, ea explicare velle stultum ducimus, justique interpretis non esse putamus? si rectius esse arbitramur id agere, ut parum perspicue distincteque cogitata offendantur apud scriptorem non pauca. Nos autem, qui aliquanto meliorem existimationem de Paulo conceptam habemus, nihil reliquum facere consuevimus, ut quae prima fronte inexplicabilia videntur, in altissimos recessus usque exploremus, et quae pristinorum commentatorum artibus haud appareat perspicue ac distincte cogitata esse, instructiores, subtiliores, liberiores pro nostri aevi facultate ab integro tentemus, si non, quae obscuritas et confusio creditur Pauli, interpretum culpa, non tam piorum quam religiosorum, ingesserit scriptori, cujus mentem et sententiam vel non adsecuti sunt, vel ut suis suorumque placitis contrariam aut ex industria obvelarunt aut in omnia alia detorserunt. Quin adeo, si quae stilo, ingenio, consilio Pauli nimis dissimilia sunt, invidiam religiosorum nihil curantes facilius credimus, ea supposita esse, quam Paulum delirasse et ab semet ipso discrepasse.

Sed ut redeamus in viam, Usterius in iis, quae

Hermannus de argumento versuum 15-20 disputavit, per omnia fere adsentitur atque adeo sui commentarii summam ad sententiam ejus retractat. „Convenit mihi, inquit, cum Hermanno primum in eo, quod comma 20. permanentem auctoritatem legis Mosaicae confutet.“ At vero si Paulus legi Mosaicae sempiternam auctoritatem abjudicavit, tacite simul negavit, istam legem *ῥῆμα τȣ̃ ϑεȣ̃* esse, quod sua natura et necessitate manet aeternum. Pet. 1, 1: 25. — „Deinde in eo, quod illud: *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ȣ̉κ ἔϛιν*, similiter accipimus,“ ita nimirum, ut subjectum enuntiati *ὁ μεσίτης* sit, idem quod *πᾶς μεσίτης*, non *ὁ δὲ*, *περὶ ȣ̃ ὁ λόγος*, *ἀγγέλων μεσίτης*, iste *ἑνὸς ȣ̉κ ἔϛιν*, *ἀλλὰ πολλῶν*, nempe *ἀγγέλων* e v. 19. — „Denique in eo, quod verba: *ὁ δὲ ϑεὸς εἷς ἐϛι* spectent ad voluntatem Dei absolutam in promissione data Abraamo.“ Quae quidem significatio vocis *εἷς* nullius est exempli. Nam quis unquam dixerit: *εἷς ἐϛιν ὁ δεῖνα*, pro *ἡ βȣλὴ τȣ̃ δεῖνος ἀναλλοίωτος, ἀμεταμέλητός ἐϛι*? Cfr. Hebr. 13: 8. — „Ad *ὁ δὲ ϑεὸς εἷς ἐϛιν* intelligentia nostra e v. 18. adjicere debet: *ὁ τῷ Ἀ. δι᾽ ἐπαγγελίας κεχαρισμένος*,“ ut submonet Usterius; imo e v. proximo, 20. nos supplemsu: *ὥϛπερ ἄγγελοι, ϑεοὶ νομιζόμενοι ȣ̉κ εἰσί.*

Non satis recte procedere Hermanno videtur versu 21. argumentatio: „Lex igitur num officit promissionibus Dei, iisque praevalet? Absit! nam si data lex esset ejusmodi, quae beare posset: vere per legis observantiam probaremur deo; at conclusit vox librorum sacrorum cuncta in culpam delicti.“ Iniquius meo judicio agit Hermannus et contra grammaticas leges non semel scholasticum quendam ordinem ac tenorem exigit a Paulo, qui putidus esset in epistola. Postquam v. 19. quaestionem movit apostolus: *τί ȣ̃ν ὁ νόμος*; nunc e vss.

19 et 20. quod consequens est responsi loco pronunciat: *Οὐδὲν ὁ νόμος* (non dicit *τȣ̃ θεȣ̃*) *ἰσχύει κατὰ τῶν ἐπαγγελιῶν τȣ̃ θεȣ̃.* Male Winerus: „Dicit hoc: Si et promissio illa et lex Mosaica a Deo profecta" (id quod secus esse apostolus modo ostendit: ergo falsum hoc antecedens): „efficitur, utramque inter se pugnare legemque promissioni contrariam esse. Quomodo igitur haec difficultas expediri potest?" Quid ita? quin potius, utraque si ab uno Deo profecta esset, contrarium sequeretur, alteram cum altera pugnare non posse. Haud negat Paulus, *ἐναντίαν*, *ἀντικειμένην* istam legem esse *τῶν ἐπαγγελιῶν*; negat quidquam valere et posse utcumque adversariam contra illa promissa, non magis quam lunae lumen contra jubar solis (Cfr. Cor. 2, 3: 6—16. Eph. 2: 15). Nihil profecto in hoc Pauli dicto situm est, unde conjectetur, Paulum ita removendam sensisse legem, ut etsi abrogatam volebat, ei tamen suum pretium suaque dignitas relinqueretur.

A verbis autem: *Εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος* etc. miror quod non viderunt recentissimi interpretes, *) novam ordiri pro eadem causa argumentationem, ex ipsa legis natura repetitam. Nihil posse legem contra promissa apparet porro ex eo, quod ipsa nequeat praestare quam spondet vitam beatam, pollicitans, *ὅτι ὁ ποιήσας ζήσεται ἐν αὐτοῖς* (R. 10: 5). Lex omnino praevaleret *ταῖς ἐπαγγελίαις,* si praevenisset

*) Qui veterum philosophorum disputationes Graecorum et Latinorum diligentius versaverit, animadvertisse debet, pro una re complura argumenta interdum afferri, quae particula *γὰρ*, enim, non ex eo, quod proxime antecedit, suspenduntur, sed e quaestione communi, quam repetere supersedent in singulis.

eas largitione δικαιοσύνης εἰς τὴν ζωὴν αἰώνιον, cujus spem illae demum faciebant. Hoc autem non potuit; ergo nulla datur inde δικαιοσύνη. Imo sacra volumina omnes homines, τὲς ἐννόμες pariter et ἀνόμες, culpae communi obnoxios esse, declarant, neminem omnium δίκαιον, ἐξ ἔργων νόμε nimirum, παρὰ τῷ Θεῷ, ita ut iis tantum conscientiae tranquillitas, εἰρήνη πρὸς τὸν Θεὸν beataque vita contingat, quae ad fidem, quam Christus praeivit, colendam se contulerint.

Tantum ergo meriti Mosaicae legi (de hac enim Gal. 3: 17-21. agitur) juxta cum omnibus positivis Paulus concedit, ut quum homines tristi experientia docti desperarent ex istiusmodi remediis ζωοποίησιν, ad legem naturalem et fidem, per quam ea colitur, compellerentur, itaque Mosen παιδαγωγὸν εἰς Χριςὸν dicit. Potuit eodem jure Minoëm, Lycurgum, Solonem, Numam παιδαγωγὲς vocare εἰς Χριςὸν sive προπαιδευτάς, quemadmodum Clemens Alexandrinus: ἦν, inquit, πρὸ τῆς τε κυρίε παρεσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία — προπαιδεία τῆς ἀληθείας. Nihilo certe praestabiliores fuisse Judaeos fuisse docet Paulus (Rom. 3: 9. 2: 10-29) Ethnicis per beneficium Mosaicae legis, quam Winerus a Deo profectam esse arbitratur. Quid quod Ethnicos Evangelium praeparatiores ac dociliores invenisse, sacra historia testatur. His pariter atque illis suae leges, mores, ritus instar custodiae sive carceris *) fuerant,

*) Male apud Bretschneiderum φρερεῖσθαι, obstringi ad obedientiam. Synonymum est συγκλείεσθαι ὑπὸ νόμον, quod perinde est ac ὑπὸ ἁμαρτίαν, sicut εἶναι ὑφ᾽ ἁμαρτίαν et ὑπὸ νόμον, συγκλείειν autem per Hebraismum prodere, exponere acerbitati, saevitiae etc. Sic Rom. 1: 24. παρέδωκεν ὁ Θεός. Qui hoc loco φρερέμενοι, Luc. 4: 18.

in quibus tamquam *αἰχμαλωτοὶ σωτηρίαν*, *ζωοποίησιν* acrius acriusque desiderare discerent (Rom. 8: 19, 22), *τῇ ματαιότητι ὑποταγέντες*, *ἐλευθερωθήσεσθαι ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς* piis votis expetentes. Vid. ex. c. hymnus Cleanthis sub finem:

Ἀλλὰ Ζεῦ πάνδωρε κελαίνεφες, ἀρχικέραυνε
Ἀνθρώπους ῥυοίο ἀπειροσύνης ἀπὸ λύγρης
— — — — *δὸς δὲ κυρῆσαι*
Γνώμης, ᾗ πίσυνος σὺ δίκης μετὰ πάντα κυβερνᾷς
κ. τ. λ.

et aureum carmen illud:

Ζεῦ πάτερ, ἦ πολλῶν γε κακῶν λυσείας ἅπαντας,
Εἰ πᾶσιν δείξαις, οἵῳ τῷ δαίμονι χρῶνται.
Ἀλλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν
κ. τ. λ.

Certo certius est, Gal. 3: 17, 19 et 21 de una eademque lege agi, quadringentis ac triginta annis post Abraamum lata, Mosaica, cujus auctor non Deus,

---

αἰχμαλωτοὶ vocantur. Male conferunt Winerus et Usterius Pet. 1, 1: 5. Phil 4: 7. Nam sensu certe diverso *ἐν δυνάμει Θεοῦ φρουροῦνται* homines *διὰ πίστεως*, atque *ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ φρουρεῖ καρδίας*, diverso *φρουροῦνται ὑπὸ νόμον συγκεκλεισμένοι, ὑπὸ ἁμαρτίαν*. Sap. 17: 16. nescio an Winerus contra suam interpretationem laudaverit. Nae malus custos *ὁ νόμος* fuisset *ὁ παραβάσεων χάριν τεθεὶς*, *ὁ παρεισελθὼν*, *ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*. — Imo homines culpa delictorum obstricti lege tenendi erant, donec iis tam aegre foret quasi compactis in carcerem (recte Morus, Koppius, Jaspis *εἰς τὴν μελλ. πίστιν*, usque ad fidem); donec pertaesi malae conscientiae cruciatum et inutile auxilium legis unam veram medicinam expeterent.

Συνέκλεισε· *ἤλεγξε καὶ τοὺς πρὸ τοῦ νόμου καὶ τοὺς μετὰ τὸν νόμον, τοὺς μὲν τὸν φυσικὸν, τοὺς δὲ καὶ τὸν γραπτὸν παραβάντας νόμον.* Scholiasta ille a Matthaei editus, sagacior aliquanto quam Chrysostomus.

qui est unus fuerit, sed angeli. *Τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι*, qualia sunt illa *δικαιώματα σαρκὸς ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς*, de diebus festis et profestis (Gal. 4: 9. Col. 3: 16), de circumcisione (Gal. 5: 6, 11. 6: 15) ac de aliis rebus, opinione sacris, quae tamen sua natura iis operantes nihil adjuvant ad conscientiae labem eluendam; *ζωοποιῆσαι* igitur nequeunt (Hebr. 9: 9. Gal. 3: 21), istam legem antiquatam esse dicit Paulus Christi supplicio, quem *γενόμενον ὑπὸ νόμον οἱ ἄρχοντες τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ*, dum cruci suffigunt, servitio hujus legis levarunt imprudentes, ita ut ipse cum corpore suo immunis ab ea evaserit. Jam vero Usterius idem faciens, quod ad Gal. 4: 4. Koppio insimulat, rem diluit (applanit Francogallice, verflachet Germanice), quasi *τὸν πάντα νόμον*, summam Dei legem intellectum velit Paulus. Nec vero unus Koppius incusandus erat, sed Erasmus, Grotius, Storrius, Doederlinus, Morus, Borgerus. *Ἵνα τȣ̀ς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ*, subjicit Paulus (Gal. 4: 5), *ἐκ τῆς κατάρας* *) *τȣ̃ νόμȣ* (3: 13). Cujus

---

*) *Κατάρα* ejus, quae h. l. commemoratur, legis in bona corporis et externa desaevit, ultimaque nihil amplius est quam exterminatio e civitate quadam vel adeo ex hac vita, supplicio capitis peragenda; non est aeternae salutis ac vitae privatio. Cujusmodi *κατάραν*, dum *ἕνεκεν δικαιοσύνης διωκόμεθα, παραδιδόμεθα, θανατώμεθα*, timendam et reformidandam non esse docuit Christus hoc praecepto: Nolite eos timere, qui corpus interfecturi sunt, animum interficere non possunt. Quae execratio quum iterari non possit, non magis quam nex terreni corporis, ea Christus semel defunctus suum corpus liberavit simulque legem ita sacratam irritam suis fecit necem corporis nullam timentibus. Vis autem ac potestas legis divinae hujus vitae carceribus non contenta aeterna et praemia et poenas intentat.

legis? In cujusnam legis codice scriptum legitur: *Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ μὴ ἐμμένων* omnibus quae scripta sunt in codice legis? nempe Mosaicae. Egregie Doederlinus: „*Νόμος* per totam fere epistolam ad Galatas significat jus Mosaicum, sub quo Jesus Judaeus natus fuit. Etenim *γενέσθαι ὑπὸ νόμον* recte refertur ad natales Judaicos, si conferas similes formas Gal. 4: 21. Cor. 1, 9: 20. Deus itaque, ut Paulus monet, filium suum non modo femina natum, sed etiam Judaeum, legibus Mosaicis obstrictum esse voluit, ut nos non omni legum vinculo eximeret (non enim potest Deus ab imperio suo dimittere ullum natorum et a legibus absolvere), sed ut Mosaica disciplina sublata homines e servili conditione in liberalem statum vindicaret." Sed sciamus oportet, secundum systema, quod Usterius, *νεανίσκος*, commentus est, omnia Paulina hodie nunc, velint nolint, intelligenda esse! „Pro ea mente, inquit, qua Paulus fuit, lex vetus Mosaica nequaquam novae locum dare debebat; sed omnem legem, sub quod genus etiam praecepta Christi subjecta sunt, apostolus eodem loco ducit, quippe quum lex, quaecunque ea est, cognitionem boni, non actionem pariat." Audio; sed Paulus quum v. 21. dicit: *εἰ γὰρ ἐδόθη* (*διὰ Μωσέως* v. 19.) *νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι*, sani capitis homines non possunt non subintelligere: homines, qui obtemperant huic legi. At vero Paulus contendit, *τὰ δικαιώματα σαρκὸς* Mosaica lege praescripta, si quis vel accuratissime observaret, neminem posse ea *πεπληρωκότα ζωοποιῆσαι, κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι.* Hebr. 9: 9. Tam vecordem autem neminem Theologorum esse credimus, qui neget, *τὸν νόμον βασιλικὸν*, hoc est divinum: *Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν*, cultorem suum,

τὸν ἀγαπῶντα τὸν ἕτερον, non posse ζωοποιῆσαι, τὸν ἔμφυτον λόγον μὴ δύνασθαι σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν? Vid. Luc. 10: 25—28. Jac. 2: 8. 1: 21. Nihil profecto indignius Deo dici potest, quam Deum legem hominibus dedisse, at non simul, imo prius dedisse hominibus potestatem ejus conservandae, non perfecte quidem et absolute continuo, sed magis magisque crescente facultate, prout vires in hoc officio exerceantur. *) Hoc Jesus venit, ut exemplo suo mon-

*) O si theologi philosophiam illam, quae Paulo certe non incognita fuit, Graecam, aliquot seculis disciplina Christi superiorem addiscere non dedignarentur, rerum divinarum humanarumque scientiam. Exempli causa illud, quod est apud Ciceronem de LL. 2: 4, quantam lucem fundit in Pauli doctrinam: Quintus: Antequam ad populares leges venias: vim istius caelestis legis explana! ne aestus nos consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati trahat. Marcus: A parvis enim, Quinte, didicimus Si in jus vocat, atque ejusmodi alia, leges nominare. Sed vero intelligi sic oportet, et haec et alia jussa ac vetita populorum vim non habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi (μὴ δύνασθαι ζωοποιῆσαι), quae vis non modo senior est quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis Dei. Neque enim esse mens divina sine ratione potest nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque faciendis habere. — Erat enim ratio profecta a rerum natura et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans, quae non tum demum incipit lex esse quum scripta est, sed tum quum orta est; orta autem est simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis?" Totus consentit Justinus M. Apol. 1: 10. „Homines, si dignos Dei consilio sese factis (δι᾽ ἔργων) praebuerint, adepturos esse accepimus, ut conversentur cum eo unaque regnent, corruptionis et passionis expertes. Quemadmodum enim initio, quum nulli essent, eos creavit, eodem

straret, eam potestatem divinae legis conservandae, quam ingeneratam habemus a Deo, sive, quod idem est, obediendi Deo, παθήμασι μαθήμασι ad infinitam facultatem amplificari posse itaque virtutem consummatissimam existere. Jo. 1, 4: 17. Heb. 2: 10. 5: 7, 8. Quid tandem est πίςις, si persuasio non est, exemplo Christi constabilita, ὅτι αἱ ἐντολαὶ τῦ θεῦ βαρεῖαι ὐκ εἰσὶ, praecepta Dei modum humanarum virium non excedere, quae praecepta ἐν ἑνὶ λόγῳ πληρῦται, ἐν τῷ·

---

modo futurum arbitramur, ut propterea, quod data optione elegerint placita Deo, et immortalitatis et consuetudinis honore impertiantur. Nam quod esse coepimus initio, nostrum non est; exequi autem, quae ipsi placent, sponte per eas, quas ipse donavit, mentis et rationis facultates (δἰ ὧν αὐτὸς ἐδωρήσατο λογικῶν δυνάμεων), suadet atque in fidem adducit nos. Et omnibus hominibus prodesse putamus non arceri ab his discendis, sed etiam incitari ad haec. Quod enim non potuerunt humanae leges comparare (ὐκ ἠδυνήθησαν οἱ ἀνθρώπειοι νόμοι πρᾶξαι), hoc ratio utpote divina effecerat, nisi mali daemones dispersissent multa mendacia et impia crimina, sumta in societatem mala in singulis adversus omnem variaque natura cupiditate.“ Quod igitur antiquissimus patrum ecclesiasticorum humanas leges negat comparare posse vitae beatae perpetuitatem, hoc ipsum, judice Paulo cadit in legem Mosaicam; unde consequitur necessario, humanam esse legem Mosaicam, non divinam. Haec talia si legisset et animo volvisset Usterius: nefas haberet contendere, ne veram quidem legem Dei posse ζωοποιῆσαι, et cum legibus populorum, ut Israelitarum, eadem imbecillitate laborare. Nostra quidem mente et sententia nihil opus est quam ut lex vera atque princeps, quae est ratio recta summi vel potius unius Dei, recte cognoscatur: αὕτη γάρ ἐςιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσι τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν (itaque τὸ θέλημα, τὸν νόμον αὐτῦ) καὶ ὃν ἀπέςειλε, qui quum praeceptis tum exemplo legem Dei pulcherrime illustravit, qui δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν. Jo. 17: 3. Jo. 1, 5: 20.

Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου etc. atque studium specimine Christi pulcherrimo inflammatum *τοῦ περιπατεῖν ἐν ἀγάπῃ, καθὼς καὶ ὁ Χριστός*? Haec fides autem, nisi in officio colendo cernatur, in lege Dei conservanda, nulla est: nam *τήρησις ἐντολῶν* (Cor. 1, 7: 19), *πίστις δι᾽ ἀγάπης* (quae *ἀγάπη* est *πλήρωμα τοῦ νόμου*) *ἐνεργουμένη*, una denique est ratio et via *τοῦ ζωοποιηθῆναι*.

Falsissimum ergo et perversissimum systema, quod Usterius Paulo supposuit, quo statuitur primo, quum omnem legem, tum divinam, nihil nisi ad cognitionem peccatorum et maleficiorum valere, non ad cognitionem officii, quo colendo *ζωὴν* adipiscamur, atque ad impellendos homines, ut eam legem sequantur, cujus cultoribus praemio perennitas vitae beatae proposita sit; secundo: e sola fide *δικαιοσύνην* proficisci, quod contra Paulus docet, fidem ex probitate sive pietate provenire, sicut fructum ex arbore, probitatem autem ex fide cognosci et spectari, sicut arborem ex fructu; principium geneticum fidei probitatem esse; cognoscendae probitatis principium fidem, fidem practicam nimirum: practicam enim fidem dico ejus, qui testi veritatis aurem praebet ac morem gerit; atque ex hac fide cognosco, aliquem *ἐκ τῆς ἀληθείας* esse, *δίκαιον* esse. Jo. 18: 37. Quid autem aliud professus est ille testis veritatis, nisi hoc, unam voluntatem, sive quod idem est legem, D e i colendo homines *ζωοποιεῖσθαι*; *τὰς παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων*, *τὰ ἐντάλματα τῶν ἀνθρώπων*, Mosis et eorum qui deinceps cathedram Mosis occuparunt, nihil valere ad beatam perpetuitatem vitae.

Ceterum Usterius, Hermanni explicationem hujus loci v. 21. *δογματικῶς*, non *ἑρμηνευτικῶς* corripiens,

arbitratur in nodos incidere nimis difficiles theologiam, si lex ratione argumenti didactici cum *ταῖς ἐπαγγελίαις* aut vetus lex cum nova per Christum sancita comparetur. Facile crediderim, hos ipsi nodos Gordios esse utcunque infitiandos, non item Hermanno et nobis, qui nullum systema nostrum nostrorumque defendendum habemus. — Prorsus alia diversaque sunt in Hermanni explicatione, quibus ego assentire nequeam, in primis litteris meis excussa. Hoc unum praetermittere nolo: „Legem Mosis, quae et divina crederetur et summam ab longa consuetudine sanctitatem haberet, ita sentiebat Paulus removendam esse, ut etsi abrogatam volebat, tamen ei suum pretium suaque dignitas relinqueretur.“ Quid pretii, quae et quanta dignitas? quaeso. Non major certe, quam cuivis legi positivae debebatur, cujus taedio factum est, ut *ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως* (*τῶν ἐθνῶν*) *τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεσθαι* — *ἡ κτίσις συστενάζειν καὶ συνωδίνειν* coepisset. Rom. 8: 19—22. Nam *ἐν τῇ πατροπαραδότῳ ἀναστροφῇ* Judaeorum non minus certe molestae vanitatis, non levior servitus corruptelae infuit, quam in Graecorum legibus et institutis. Ubinam praedicat Paulus legis Mosaicae laudes? ubi divinitatem ejus profitetur?

Gal. 3: 22. tandem Usterius carpit Hermannum, quod verba: *συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑφ᾽ ἁμαρτίαν*, sic accepta velit, ut „animo Pauli obversatum videatur, per legem demum cognitum esse peccatum: id quod dicat etiam Rom. 7: 7, 8, in qua epistola 3: 19. seqq. fere eodem modo ut hic disputet.“

Haud miramur, quod Chrysostomus et Scholia Graeca, per imperitiam sermonis hebraici, *συνέκλεισε* conjectarunt esse idem quod *ἤλεγξεν*, *ἀπέδειξε*. Scite

Rosenmullerus ad R. 11: 32. „Συγκλείειν τινὰ ὑπό τι est tradere quem alicui rei, ut הסגיר cum ב et ל constructum; deinde permittere alicujus potestati, quemadmodum item παραδιδόναι LXX saepe pro הסגיר ponunt," ut Mos. 5, 23: 16, ubi Lutherus reddit überantworten (einen zur Strafe, Rache auslie-fern), 32: 20. übergeben zur Niederlage. Alibi εἰς χεῖρας ἀδίκων, ἐχθρῶν, ἐν ῥομφαίᾳ, εἰς χάλαζαν, θάνατον. Argumento congruunt hi loci Rom. 1: 24. Act. 14: 16. Vid. Gesen. sub סגר. Qui tandem accidit, ut Hebraismus hic fugeret Winerum? Quum hominibus non placeret pro ea notione, quam ex opificio mundi ratione et intelligentia conceperant, venerari Deum ac legem natura insitam colere: permisit, ut ipsius loco fictos pro sua libidine Deos adorarent singulae gentes suos, ac legibus obtemperarent hominum ingenio ex-cogitatis ac scitis populorum. Ex qua licentia nequitia omnis generis et corruptela vitae infinita succrevit pariterque miseria prorsus intolerabilis, quae homines adigeret de sua sapientia desperare atque ab uno Deo expectare levamen malorum. Male igitur Usterius vim et necessitatem quandam hoc verbo συγκλείειν significari opinatur a Deo importatam, fatalem dispositionem, qua Deus intenderit, ut universi mortales εἰς δουλείαν φθορᾶς venirent. Imo ἐξ ἀρχῆς ἐποίησεν ἄνθρωπον καὶ ἀφῆκεν αὐτὸν ἐν χειρὶ διαβουλίου αὐτοῦ. Sir. 16: 14. — Ἔναντι ἀνθρώπων ἡ ζωὴ καὶ ὁ θάνατος, καὶ ὃ ἐὰν εὐδοκήσῃ δοθήσεται αὐτῷ. Αἰτία ἑλομένου· θεὸς δὲ ἀναίτιος, fatetur Plato. Οὐκ ἐνετείλατο οὐδενὶ ἀσεβεῖν καὶ οὐκ ἔδωκεν ἄνεσιν οὐδενὶ ἁμαρτάνειν. 15: 20. Ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ σαρκί. Rom. 8: 12. Deus autem concedit, ut ἡ φθορά, cujus in servitutem sua sponte abierunt, homines enecet ac perimat, ut dum τῇ

ἁμαρτίᾳ militant, ejus reportent stipendia; ut quod severint metant. Hac ratione συνέκλεισεν αὐτὸς ὑφ' ἁμαρτίαν, non imposuit unquam necessitatem peccandi, non vi coegit, ut non possint non delinquere, sed ut, dum sua culpa peccant, non possint non miseriis et aerumnis inde provenientibus urgeri, usque dum τὴν ἁμαρτίαν sua sponte deserant. Sap. 12: 2. Ἀφῆκεν αὐτὸς τῇ ἀρεσκείᾳ τῶν καρδιῶν αὐτῶν ὁδεύειν ταῖς βουλαῖς αὐτῶν. Ps. 81: 12. Symmacho interprete.

Male Winerus: Scriptura sacra subjecit, h. e. subjecta esse declaravit omne humanum genus peccato. Qua interpretatione languidius nihil esse potest. Non enim quaeritur, quid sint homines, sed quid Deus pro sua infinita sapientia et provisione de hominibus fieri permiserit. Alia prorsus est illa disputatio Pauli ad Rom. 7: 7—25 et alio tendit, cui sensum hujus loci, qui per se intelligitur, adsimilare nec opus esse videtur, nec vero rationibus artis hermeneuticae consentaneum.

Nunc omnia, quae Hermannus in haec tria capita epistolae ad Galatas molitus est, excussimus necnon Usterium vel oppugnantem vel adsentientem, qui aliquoties novissimo suo commentario in hanc epistolam me tangit non nominatim, tamquam nullius nominis virum vel quasi me nominare minus tutum esset.

Ex. c. ad Gal. 3: 3. ita censet vel dictat: „Quod Patres hariolati sunt, τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου sidera esse, quorum metis tempora solemnia diesque festi designentur hodie inter antiquatas opiniones relegare licet: nam vel adjectiva ἀσθενῆ et πτωχὰ v. 9. satis ostendunt, quam male congruat hic sensus. Nunc inter doctos constat, στοιχεῖα prima institutionis ele-

menta esse.“ Attamen nos nihil veriti eruditorum hujus seculi universorum, ὅποιοί ποτέ εἰσι, consensum, audebamus eo libro, qui Mundus Angelorum est inscriptus explosam interpretationem illam recolere et vindicare. Sed Usterius ipse in additamentis ejus, quem laudavimus, commentarii extremis: „Haec explicatio, inquit, per quam τὰ ςοιχεῖα τῦ κόσμυ sidera vocantur, omni respectu digna est, non modo quod veteres commentarii cuncti ad eam conspirant, sed quod antiquissimi Patrum hoc vocabulum alias quoque similiter usurpant, unde elucet, eam significationem apostolico aevo usu venisse.“ Quaenam sententia verterit ipsum intra paucos menses, Usterius dissimulat, nostrum de angelorum mundo librum, quem hoc labente anno publici juris fecimus. Ex eo meliora doctus non jam veteres hariolatos esse opinatur, quos Alexandrino-Graecum usum sermonis hoc in vocabulo caluisse ac rite tenuisse nostra opera percepit. Non jam censet sidera, ubi adoratio eorum damnatur, ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ dicere, absurdum esse, et viribus et opibus cassa, unde adoratoribus auxilientur et largiantur. Non jam contendit, τὰ ςοιχεῖα τῦ κόσμυ, elementa mundi, ut Lactantius loquitur, puerilis institutionis principia esse, quod omnino nullius est exempli. Ceterum valde dubitamus, an viderit, quantum lucis haec interpretatio prisca, adversus eruditorum recentium nubem a nobis vindicata, retrorsum fundat et prorsum. Hinc enim apparet, ςοιχείοις δυλεύειν Gal. 4: 9, nihil aliud esse quam ἄςροις λατρεύειν v. 3, τοῖς μὴ φύσει ὖσι θεοῖς v. 8. Hinc liquet, judicio Pauli astra divino honore prosecutos esse τὺς παρατηρυμένυς ἡμέρας καὶ μῆνας καὶ καιρὺς καὶ ἐνιαυτὺς v. 10, singulis heb-

domadibus septimum diem, nimirum Saturni, *) singulis mensibus primam Lunam, singulis tempestatibus diem, quo certum signum zodiaci ab sole intratur, aries, cancer, libra, capricornus, aequinoctia et solstitia, singulis annis diem, quo Phoebus renovat cursum, pro feriatis, festis, solemnibus habentes; Judaeos ergo inter astrorum cultores censeri a Paulo. Hinc satis constat non ethnicis superstitionem exprobrari hoc loco, id quod Usterius falso arbitratur, sed Judaeis, qua pseudapostoli Galatas, a Paulo *πρὸς τὸν θεὸν ἀληθινὸν*, conversos irretire tentabant. Atqui astra, quae pro Diis credebant gentes, angelos Judaeis fuisse, constat. Vid. Gesen. sub צבא. Lex ergo, quae superstitiosam observantiam horum talium dierum identidem imperavit adeoque supremo supplicio sanxit, *ἀγγέλων θρησκείαν*, a Deo profecta esse non potest, ac *δι' ἀγγέλων διαταγῆναι* in suos honores probabiliter arguitur.

Mirifice suffragatur nostrae sententiae Paulus ad Col. 2: 16, ubi postquam procul esse jussit, qui Co-

---

*) Judaei quos recentiore aevo pudebat astrologicae rationis, quae suis feriis ac solemnibus originem dedisset, alias causas finxerunt, ut: septimo die Deum, quum coelos ac terram sex diebus fecisset, ab opere quievisse. Hinc mythum de creatione in totidem diurnos labores Sopher Eliel Haschscheni, ut Ilgeni locutione utar, dispescuit. Christus autem hoc commentum refutavit Jo. V. Nec Deuteron. 5: 14. de quiete demiurgi mentio fit; sed simpliciter dicitur: Septimo die feriae sunt Jehovae Dei vestri, admonitionis causa, non ut novum aliquid et inauditum praeciperetur. Vid. Michaelis de jure Mos. tomo IV. §. 195. Satis vero constat e Classicis, hunc morem ab Aegyptiis propagatum esse in Judaeos, non a Mose demum institutum.

lossenses — ἐν ἡμέρᾳ *) ἑορτῆς ἢ νεομηνίας ἢ σαββάτων judicarent, „nemo in vos inquirito, vos ducito reos de die solemnium aut novae lunae aut feriarum septenis diebus habendarum," continuo subjicit: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν — θρησκείᾳ ἀγγέλων. Sed tamen Usterius ad Gal. 3: 19. angelos administros facit legislatoris, non patitur esse legislatores, quamquam Act. 7: 53. laudat illum locum: Ἐλάβετε νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, ubi λαμβάνειν cum εἰς, quemadmodum εἶναι, διδόναι, τιθέναι, ποιεῖν etc. per Hebr. construitur, sermo latinus autem accusativum praedicati adhibet. Ergo Stephanus hoc dicit: Vestram

---

*) Sic nos rescribimus: nam lectio ἐν μέρει nullum sensum fundit ac frustra sunt, qui eam aliter aliterque defendant. Ἐν μέρει aut pleonasmum esse volunt commentatores pro ἐν, et exempla afferunt e classicis parum intellecta. Nam Alciphron scribit Epist. 3: 70. ἐν παιδίας (παιδιᾶς pronuncietur, oportet) μέρει ἔπραττον, ludibrii loco, pro lusu omnia tractabant. Diog. Laert. II. 11: 3. Diodorus audiit Cronus ἐν σκώμματος μέρει, quae appellatio dicterii loco esset. Aelian. V. H. 8: 3. κρίνοντες ἕκαστον ἐν τῷ μέρει φόνου, ubi jungunt imperite ἐν μέρει φόνου pro κρίνοντες φόνου. Ἕκαστον ἐν μέρει significat singulos deinceps seorsim Vid. Perizonii annotatio. Heinrichs Wetstenium caeca fide exscripsit. Similius ad verbum nihil; ad sensum dissimile prorsus apud Diodor. Cass. Νέρων ἐν μέρει ἑορτῆς ἐποιεῖτο τοῦτο. Nero festi loco habebat, pro festo ducebat hoc. Bretschneiderus e Philone duo exempla laudat ἐν μέρει λόγου, χάριτος, adeo nude, ut nemo intelligere possit, quo sensu Philo hanc locutionem usurpaverit. Test. XII. Patriarch. p. 546. ἐκ μερίδος κυρίου ἡ ζωή σου, pro ἐκ κυρίου inepte. Nam victus Levitarum non e domino fuit, sed e portione domini, e primitiis, decimis, sacrificiis. Nehem. 7: 70. ἀπὸ μέρους ἀρχηγῶν, ex ordine principum, מקצת רשים. Quod sequitur v. 71. ἀπὸ ἀρχηγῶν non tantundem dicit. Sed haec exempla cum ἀπὸ, ἐκ nihil ad rem.

legem acccpistis pro edictis angelorum, tamquam si edictis angelorum constaret, plusquam humanam auctoritatem haberet. Ita Cod. Mosqu. haec verba intellexit, cujus annotatio haec est: *εἰς διαταγὰς, ἠγουν τὸν ὑπ' ἀγγέλων διαταγέντα.* Sic Beza, Hammondus, Krausius, Heinrichsius, ad Gal. 3, 21, Koppius, Borgerus, ad Hebr. 2: 1. Carpzovius. *Διαταγαὶ* sunt edicta, quomodo Augustinus interpretatur (cfr. Rom. 13: 2) i. q. *διάταγμα* Hebr. 11: 23. Sic extant *διαταγαὶ ἀποστόλων*, quae significatio unice commendatur orationis argumento de lege agentis. — Quum Stephanus dicit *εἰς διαταγὰς ἀγγέλων*, ipsos legis auctores vocat angelos, non ministros ejus, qui tulerit legem. Jam Usterius: „*Νόμον τιθέναι* et *διατάσσειν* nequaquam verba synonyma sunt: hoc est ferre legem, illud promulgare.“ Temere optat non docet: nullum enim exemplum invenit, quo dictatum probet. Immo *διατάσσειν* legislatorum est proprium. Videsis Kuinoëlum ad Act. 7: 53.

Stephanus ergo diserte dixit, suam legem Judaeos pro angelica putasse, non dicit pro divina; unum idemque cum Paulo, apud quem est: *ὁ νόμος — διαταγεὶς δι' ἀγγέλων.* — Primum vestigium de angelorum ministerio, quod in legislatione praestiterint, Mos. 5, 33: 5. extare Usterius dicit. Sed ibi nec vola nec vestigium de legislatione: מִימִינוֹ אֵשׁ דָּת לָמוֹ, a dextra ejus ignis (qui Deo Israelis praeferebatur itineranti, tamquam regi Persarum), *) edictum populo, i. e. signum, quo movendo jubebatur populus

---

*) Curtius 313: 9. „Ordo agminis erat talis: Ignis quem ipsi sacrum et aeternum vocabant, argenteis aris praeferebatur.“ De praelato imperatoribus igne disserit Tiraquellus ad Alex. dies geniales 1: 2.

castra movere. LXX. sic reddunt: ἐκ δεξιῶν αὐτῦ ἄγγελοι μετ᾽ αὐτῦ, quum intellectus dicti fugeret, e suo ingenio aliquid in fugam vacui infarcientes. Eorum ignorantiam produnt ibidem μυριάδες Κάδης, רבבות קדש, myriades sanctitatis, i. e. sanctorum, קדישים, quod epitheton Judaeorum in usu recentiore sermonis reperitur ac tempore Maccabaeorum increbruit. Verbum אתה hoc in capite tertiatum, alias nusquam obvium in Pentateucho, mihi quidem non recentiorem originem potius hujus capitis arguit, quam poëticam venam. Quare non assentior Gesenio censenti, vocabulum דת, quae recepta est lectio, in hoc carmine tolerari non posse, quippe quod classicae antiquitati Hebraismi accedat. Nec vero sic, angelis quos crearunt LXX. admissis, legislatio inde quidquam proficit. — Locus autem ille Josephi Antiqu. 15, 5: 3, quem e Winero laudat Usterius: ἡμῶν — τὰ ὁσιώτατα ἐν τοῖς νόμοις δι᾽ ἀγγέλων παρὰ τῦ θεῦ μαθόντων, tantum certe testatur, Judaeos in ea opinione fuisse, ut Moses legem δι᾽ ἀγγέλων doctus sit; angelos egisse cum Mose, non Deum; ab angelis autem Mosen inductum esse, ut crederet, eos praecepta divinitus mandata injungere, διαταγὰς τῦ θεῦ. At vero alius est Josephus Flavius, alius ille Stephanus, quem Judaei criminabantur λαλεῖν ῥήματα βλάσφημα εἰς Μωσῆν καὶ τὸν θεὸν (τ. Ἰυδαίων), λέγειν, ὅτι Ἰησῦς — ἀλλάξει τὰ ἔθη, ἃ παρέδωκε Μωσῆς. Act. 6: 11, 14. Hic Judaeos τὸν νόμον pro διαταγαῖς ἀγγέλων sumsisse dicit, non τῦ θεῦ, et Paulus non dicit, ὅτι ὁ νόμος δι᾽ ἀγγέλων παρὰ τῦ θεῦ διετάγη, quomodo debuerat loqui consentiens cum Josepho. Nam si Stephanus et Paulus concessissent, legem παρὰ τῦ θεῦ acceptam detulisse Mosen ad populum: aeternam

ejus auctoritatem agnovissent itaque in confessum venisset, Jesum, qui ἤλλαξε τὰ ἔθη, ἃ παρέδωκεν Μωσῆς, κατήργησε τὸν νόμον, majestatis divinae reum jure summo supplicium pependisse. Hoc tantum concedebant Judaeis, eorum legem angelis acceptam ferendam esse; nihil autem hoc praecipuum erat, quum crederetur, omnibus ceteris populis suum cuique angelum, tamquam si supremus deus esset, διατάξασθαι τὸν νόμον, auctore Justino (Apol. 2: 9), quem locum capitalem Usterius aut ignoravit aut dissimulavit. Sin autem Judaei contenderunt, angelos, a quibus acceperint legem, eam didicisse a Deo, non item ceteros aliorum populorum latores: ut non historici generis controversia, sic argumentis historicis dirimi nunquam poterit, minime vero partium pro sua causa testimoniis. Sed bene se habet, quod certum arbitrum scimus, ὀρθὸν λόγον, ὅς παρελθὼν ȣ πάσας δόξας ȣδὲ πάντα δόγματα καλὰ ἀποδείκνυσι, ἀλλὰ τὰ μὲν φαῦλα, τὰ δὲ ἀγαθά, ut Justinus M. ibidem docet. Jam vero hic arbiter τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, δι' ἀγγέλων διαταγέντα, κατήργησεν, ἐξήλειψεν, ἐπαλαίωσεν, ἀνεῖλε (Eph. 2: 15. Col. 2: 14. Hebr. 8: 13. 10: 8), ἀσθενῆ, ἀνωφελῆ, μεμπτὸν judicavit (ibid. 7: 18. 8: 7), nihil quod ejus proprium esset reliquum fecit; quidquid autem abolevit, ab angelis ortum, non divinitus esse, declaravit.

Alia quoque, minoris quidem momenti, adversus mea tentavit Usterius eodem isto commentario, e quibus unum adhuc excerpere placet: longum foret nec hujus loci, profligare omnia.

Gal. 5: 6. Usterius: „Fides, quae per caritatem sese exserit, se activam praestat. Nam ἀγάπη est

ἔργον τῆς πίςεως Thess. 1, 1: 3. *) Paulin. Syst. p. 249.“ Ad hunc laudatum locum e prima ad Thess. annotavit Koppius, πίςιν, ἀγάπην, ἐλπίδα, perinde jungi, ut Cor. 1, 13: 13. τὸ ἔργον τῆς πίςεως καὶ ὁ κόπος τῆς ἀγάπης καὶ τὴν ὑπομονὴν τῆς ἐλπίδος, h. e. ὑπομονὴν ἐλπίδα κατεργαζομένην μὴ καταισχύνουσαν (Rom. 5: 4, 5). Quanam ratione, quaeso, grammatica, qua lege logica inde extundere licet, τὴν ἀγάπην ἔργον πίςεως, non autem vicissim τὴν πίςιν esse κόπον ἀγάπης? Thess. 1, 5: 8. copulantur θώραξ πίςεως καὶ ἀγάπης et περικεφαλαία ἐλπὶς, unde Usterius Berolinensem dialecticen doctus aliquis concludere posset, galeam esse opus loricae. Haud secus consequeretur e Cor. 1, 13: 13, ubi Paulus dicit: Νυνὶ μένει πίςις, ἐλπὶς, ἀγάπη, caritatem esse horum trium minimam, neptim fidei, quae judicio non quidem Usterii et spe et fide major. Nam δίχα ἀγάπης ὐδὲν εὐάρεςον τῷ θεῷ, ait Stromaticus; sine caritate νεκρὰ ἡ πίςις; spes caritate carens κενή. Hoc igitur, cujus munere fides vivit, Usterius ἔργον πίςεως esse arbitratur, ἀγάπην, quae est una summa virtutum, ἔργον facit alicujus virtutis.

Primum omnium vis et potestas verbi ἐνεργεῖν constituenda erat derivati ab ἐνεργὴς, non activus (multi enim agunt et satagunt, attamen nihil efficiunt), sed ἕτοιμος πρὸς ἐργασίαν, ut Hesychius docet. Efficax ex. c. medicamentum; efficax Hercules aliquis, qui non aegre efficere aut implere potest, quidquid suscipit. Sic ἐνεργὴς ἀγάπη, cui praecepta Dei non molesta

---

*) Quanta diversitas interpretationis hunc locum premat, ostendit Suicerus Thes. Eccl. sub ἔργον I. b. Sed e loco minime liquido minime tutum esse δογματίζεσθαι, parum reputavit Usterius.

difficiliaque sunt (Jo. 1, 5: 3). *Πίςις ἐνεργής* commodatam habet *τὴν ἐνέργειαν* a caritate. Jam verbum activum *ἐνεργῶ* modo est immediativum, i. q. *ἐνεργής εἰμι*, me efficacem praebeo, *μὴ ἀργὸν μηδὲ ἄκαρπον ἐμαυτὸν καθίςημι* (Pet. 2, 1: 8), quemadmodum Mt. 14: 2. *αἱ δυνάμεις* (quae in Joanne Baptista infuerunt) sunt efficaces in Jesu, in quem animam Baptistae ab inferis reducem immigrasse suspicatus est Antipas. Gal. 2: 8. *ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς ἀποςολὴν περιτομῆς* (ubi dativus commodi cum *εἰς ἀπος. π.* construi debet), qui efficacem sese praebuit ad secundandam legationem, qua Petrus fungitur apud circumcisionem. Sic Prov. 31: 12. *γυνὴ ἐνεργεῖ, τῷ ἀνδρὶ εἰς ἀγαθά*, per metathesin pro *εἰς ἀγαθὰ ἀνδρί*. Modo est verbum causativum, ubicunque sequitur accusativus, ut Cor. 1, 12: 6, 11. Gal. 3: 5. *ὁ ἐνεργῶν δυνάμεις ἐν ὑμῖν*, qui vires efficaces reddit in vobis (quae pridem otiosae fuerunt), excitavit vires (vobis quidem dudum insitas, sed antehac jacentes), *ἀνεζωπύρησε*. Male Winerus et Usterius: qui operatus est in vobis miracula ille, vires miraculosas hic. Turpiter nos quidem ignoramus Legendas de thaumaturgis Galatis. Usterius citat *εἰκῆ* Mt. 14: 2. Joannes enim nulla miracula fecit (Jo. 10: 41), et Cor. 1, 12: 28, ubi *δυνάμεις*, potestates ad societatem Christianorum gubernandam necessariae, qualis est episcoporum, censorum, quaestorum, curatorum, arbitrorum, ut ibid. 6: 5. cernitur. Hoc Usterium non fugisse debebat, quod olim Zuinglius vidit. Egregie Seneca epist. 95. „Honestarum rerum semina (*δυνάμεις*) animi nostri gerunt, quae admonitione excitantur (*ἐνεργοῦνται*), non aliter quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum explicat." — *Ἐνεργεῖσθαι* autem ubique passivum est verbum, quippe quod nus-

quam in N. T. accusativum additum habeat. Apud Polybium quoque passive accipi Raphelius vidit hoc in loco: *Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὁ Κλεομενικὸς καλȣ́μενος ἐνηργεῖτο πόλεμος*. Hoc eodem tempore apud Graecos, quod Cleomenicum vocabatur bellum excitabatur, acrius intendebatur, adaugebatur. — Quod Winerus, Usterius et alii Vulgato duce reddiderunt: *πίςις δἰ ἀγάπης ἐργαζομένη* sive *ἐνεργȣ̃σα ἐν ἀνθρώποις*, Paulus non scripsit. „Sed deponens putat Raphelius ad Rom. 7: 5. *ἐμφατικώτερον* esse. Videamus! *Τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, τὰ διὰ τȣ̃ νόμȣ, ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν. Τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν* omnibus *τοῖς σαρκικοῖς* insunt ante legem latam vel cognitam; at vero *χωρὶς νόμȣ ἁμαρτία νεκρά· ἐλθȣ́σης δὲ τῆς ἐντολῆς ἀνέζησε*, quoniam *ἀφορμὴν ἐλάβεν ἡ ἁμαρτία διὰ νόμȣ*. Ibid. v. 7 sqq. Nam nitimur in vetitum semper cupimusque negata. Affectus ergo vitiorum, quae ante legem hominibus infuerant, sed tranquilla et *ἀναίσθητα*, opera legis non fiebant, creabantur, verum irritabantur, incendebantur. *) Jac. 5: 16. *δέησις ἐνεργȣμένη*, preces, quae venia inter fratres data petitaque vicissim ita intenduntur, ut ratae fiant exorentque Deum. *Εἰςακȣομένη, τελειȣμένη*. Hesychius. *Ἐνεργȣ́μενοι* a Patribus, ex. c. in Constitutt. Ap. vocantur *οἱ δαιμονιζόμενοι*, quorum vires credebantur a spiritibus supra humanitatis modum intendi et adaugeri. Quod vocabulum imperite ver-

---

*) Sacris in litteris usu veniunt *ἐργάζεσθαι*, et *ἐνεργεῖν*, idque dupliciter constructum *ἐν τινὶ* et *τὶ, τινὰ*, atque etiam *ἐνεργεῖσθαι* sine accusativo vel praedicato. Haec significatu diversa confundere, instar Vulgati, plebeiorum est interpretum. Budaeus *τῷ ἐνεργεῖσθαι* contrarium *καταργεῖσθαι* recte putabat.

terint Usterii operantes. Ἐνεργοῦντες contra sunt δαίμονες. Vid. Steph. Thes. Gr. L. Vulgatus ubique fere ἐνεργεῖν, ἐνεργεῖσθαι et ἐργάζεσθαι promiscue habet.

Jam Usterius pag. 252. in Additamentis: „Si ad liquidum perduci possit, ἐνεργεῖσθαι nunquam medialem significationem habere: tum πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη fides esset, quae amore procreatur, etiam atque etiam vita impertitur.“ Ne sic quidem sententiam vocis assecutus est: apostolus enim caritati hoc tribuit, ut fidem, quae χωρὶς ἀγάπης νεκρά ἐστιν, ὥσπερ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος, ex inertia excitet et corroboret ad ἔργα καλά. Non ergo fides ab amore producitur, sed amor, quam fidem invenit, οὐκ ἀργὴν οὐδὲ ἄκαρπον καθίστησι. Ceterum, sicubi interpres diffidit, ad liquidum se perducere posse, utrum significatio verbi cujusdam medialis an passiva sit, vel malum se grammaticum fatetur, vel malum in quo desudat scriptorem. Non agitur de eo, an usquam litterarum, sed an eo loco, quem nunc tractamus, haec vel illa verbi potestas certo constitui possit.

Aggressi sumus non unum Usterium, quem etiamsi adversarium, non inimicum, meae vitae longe superstitem fore optabam, sed quibuscum hac in causa stetit bene multis, ut Winerum, Ruckertum, alios, quorum erit, me propulsare, si qua possint, περιαιροῦντα τὸ κάλυμμα, ὃ Μωσῆς ἔθηκεν ἐπὶ τὸ πρόσωπον, πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου.

Restant nonnulla, quae Hermanni programma occasionem mihi dedit anquirendi; sed ea differimus in tertiam, Deo volente, epistolam. Perge valere, vir, inter amicos meos facile princeps, ut ab Hitzigio nostro pridie integrum incolumemque Te esse cum voluptate audivi.

EPISTOLA TERTIA.

Quamquam, nisi me fallit, epistola prima omnibus modis evicerimus, Hermannum ad hunc locum interpretandum frustra differentiam quamdam mediatae *) revelationis et immediatae molitum esse: adsentimur tamen in eo, ut omnem naturalem rationalemque necessitudinem et communitatem hominum cum Deo, omnem probae notae πίςιν, pietatem, immediatam censeamus; omnem quam dicunt positivam sive supernaturalem religionem mediatam, alio quidem intellectu quam dogmatici consueverunt. Quicunque

*) Usterius quoque pag. 118. censet, „Paulum ad Gal. 3: 20. id agere, ut auctoritatem legis cum ἐπαγγέλιᾳ comparatam deminuat, quippe quam mediate tantum et pacto quodam, itaque e functione molestorum officiorum aptam et suspensam, conditionatam denique, Deus emiserit.“ Quonam sidere οἱ δογματιζόμενοι identidem obliviscuntur considerare, an, quae statuant cum idea fidei congruant, id est cum ea notione Dei, quam Christus nobiscum communicavit? Quae dicit Usterius molesta munia vel exercent atque instruunt ad bene beateque vivendum vel nihil ad hoc prosunt. Si posterius: Deus ea imposuisse non potest; sin prius: etiam immediata revelatio, ἡ ἐπαγγελία, iis conditionibus non carebit. Annon sub ea conditione ἐπιτυχῶμεν τῶν ἐπαγγελιῶν, ut crucem nostram suscipiamus et vestigiis Jesu ingrediamur; ut ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας temperanter et juste et pie vivamus; ut aequitatem et benignitatem et fidem erga homines colamus? quae quidem officia τοῖς ψυχικοῖς multo graviora et molestiora videntur, quam decimas dare de menta et aneto et cumino.

enim re et veritate homo est, non forma et nomine tantum, *πᾶς ὁ λόγον ἀληθείας, τὸν ἔμφυτον δεξάμενος,* *) *παραλαβὼν, ἔχων μένοντα ἐν ἑαυτῷ* (Jac. 1: 21, 18. Jo. 1: 11, 12. 3: 21. 5: 38. 7: 11. Marc. 4: 25), qua indole curanda, custodienda, colenda perveniunt homines ad honestam beatamque vitam, non solitarii tamen, sed cum similibus consociati — talis igitur, si, ut par est, eo, qui amplitudine hujus ingenii et animi cultuque indolis divinae perfectissimo supereminet omnes ceteros unus, magistro utens, praeceptore et duce, quem sibimet ipsi ingeneratum habet veri honestique sensum cum beatorum gaudiorum desiderio ac divinatione plurimum augeri experiatur: is vero fruitur, si qua est in omni coelo atque terra, revelatione *immediata*, ubi nimirum nihil omnino inter Deum et homines intercedit; **) si quidem opem

---

*) Hoc verbum non significat aliquid *quo caremus* accipere, sed indolem, qua praediti sumus, suscipere quasi, non incultam sinere, pro ejus dignitate et utilitate aestimare et honorare. Apud LXX *δέχεσθαι* nonnunquam רצה. *Παραλαμβάνειν* quoque Jo. 1: 11. *ἰσοδύναμον* verbo *γινώσκειν* v. 10, praegnans est verbum, *appercipere* quasi, *suum* bonum nosse, eo uti et frui; non committere ut *φῶς ἐκεῖνο φώτιζον πάντα ἄνθρωπον κ. τ. λ.* per nos frustra benignum sit.

**) „Nos ad conjunctionem congregationemque hominum et ad communitatem nati sumus. Impellimur autem natura, ut prodesse velimus quam plurimis, inprimisque *docendo rationibusque prudentiae tradendis;* itaque non facile est invenire, qui quod sciat ipse non tradat alteri. Ita non solum ad discendum propensi sumus verum etiam ad docendum.“ Cic. de fin. 2: 20. Egregie Lutherus: „*Hominem* esse Christum oportebat, ut homines educeret.“ Atqui revelatio, quae *hominibus hominis* opera contingit a Deo, est omnino immediata; quemadmodum in studiis mathema-

illam, quam homines hominibus naturae, id est divino, instinctu praestant, illam hominum cum hominibus societatem et communicationem non interventionem dicere possumus. Quid enim est, quod hac via ξενὸν ἢ ἀλλότριον hominibus ingeratur? Excitatur modo, ut Boethius ait, quod introrsum haeret semen veri et adolescit mutuis officiis; *) atque omnis fides et auctoritas, quam hominibus tribuimus homines rationis et cogitationis κοινωνοὶ, in eo constat, ut agnoscamus convenientiam suae quisque mentis et intelligentiae cum sensu generis communi et optimae in hominum genere naturae, cujus specimen nobis quidem est Jesus.

Plane alia res est, quum supernaturale quid avent; supernaturalia autem volunt ejusmodi, quorum non λόγον habeamus ἔμφυτον, ita ut non ex adsensu et consensu nostrae mentis et intelligentiae, non ex animorum humanorum conscientia veritas eorum cerni probarique possit, sed externis quibusdam signis vel documentis. Revelationes igitur hujus generis μεσιτείαις fieri a deo ut credant, inducunt sese inducunturque homines, unde commentum illud mediatorum originem ducit, a deo pariter et ab humano genere

---

ticis, quae a Pythagorá, Archimede, Euclide inventa nobis tradita habemus, nemo crediderim alius originis et auctoritatis esse putare, quam quae mathematici excogitabant nostris temporibus.

*) „In mentem venit, quod Socrates docere nihil aliud esse arbitrabatur quam efficere, ut homines rerum notiones, quas insitas et quasi consignatas in animis habeant, reminiscendo recognoscant. Hoc etiam ad religionem ac pietatem pertinet, quam rite docent illi, qui adjuvant alios, ut unde orti sint quasi recordentur ac noscant.“ Cic. LL. 1: 8.

diversorum, quales angeli apud Judaeos, vel homines ingenio captuque humano sublimiores, supra modum virium humanarum elati, ex communi hominum imbecillitate exemti, natura, non gradu tantum ceteris excellentiores, ergo si verum quaeris non homines, sed Semidei. Quod contra Paulus diserte docet, *ἄνθρωπον*, non *θεάνθρωπον* Jesum mediatorem esse Dei et hominum, *σαρκὸς καὶ αἵματος κοινωνὸν*, *κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθέντα*, *μετριοπαθεῖν δυνάμενον τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις*, *ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περιέκειτο ἀσθένειαν*, eum *χωρὶς ἁμαρτίας* non fuisse, interea dum discebat obedientiam, exercebatur, emendabatur, consummabatur, sed nunc *πεπειραμένον*, *ὑπομεμενηκότα πάντα πειρασμὸν χωρὶς ἁμαρτίας* esse, nunc perdoctum obedientiam *εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον*, quam eandem metam contingere debeant sui, ac *δίκαιοι τετελειωμένοι* evadere *χωρὶς ἁμαρτίας*.

Fabri revelationum positivarum e contrario, quum suis dogmatis parum suffragaretur *ἔμφυτος* ille *λόγος ἀληθείας* itaque deficeret rerum inculcandarum consensus cum notionibus, quas animis hominum natura ingeneravit, qui apud homines eorum commentis ultro fidem conciliaret: supponerent necesse fuit *τῷ λόγῳ* alicujus fidei laenam, quemadmodum, qui veram gloriam consectari nesciunt, simiam ejus, famam popularem, solent ambire. Quem *λόγον* suppositiтium Paulus *τὸν νοῦν τῆς σαρκὸς* dicit, phantasiam libidini ancillantem. Res igitur, quibus ista phantasia capitur et percellitur, positivarum revelationum fecundae videntur, atque hujus generis religiones sive ut vero nomine utamur superstitiones luxuriabunt, donec homines maximam partem *σαρκικοὶ* erunt vel adeo *κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν* eoque ipso

ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίςιν. Ubicunque obtinet vulgum ἄγνοια ac πώρωσις καρδίας vel ματαιότης *) τȣ̃ νοὸς, vacuitas mentis, sive uno vocabulo dementia, vecordia, ἀφροσύνη, quam nostrates dicunt Unvernunft: ibi phantasia praedominatur, temeritatis amica, nihilque facilius est quam superstitiones condere, nutrire, propagare seculis vel barbaris vel luxu corruptis.

Jam vero revelationibus omnibus mediatis hoc commune est, quod externis **) argumentis indu-

---

*) Μάταιος, ריק. Insipienter nonnulli opinantur, ματαιότητα epitheton proprium esse τȣ̃ νοὸς, ac τὸν νȣ̃ν, quem homines natura habemus, omnem vanum putant. Eodem jure quispiam possit, πίςιν, θρησκείαν, quae interdum ματαία vocatur, omnem insimulare vanitatis. Haud generatim ὁ νȣ̃ς τῶν ἀνθρώπων, sed ὁ νȣ̃ς ἐθνῶν Eph. 4: 17. appellatur μάταιος, τῶν τοῖς μὴ φύσει θεοῖς λατρευόντων, eorum, qui Deum mentis humanae acie intellectum (Rom. 1: 20) itaque satis cognitum quum simulacris permutassent nullam similitudinem divinitatis habentibus, ὀπίσω τῶν ματαίων πορευόμενοι (Sap. 13: 1) ἐματαιώθησαν, ἐξέςησαν τȣ̃ νοός. Quam ob causam istis apostolus ματαιότητα νοὸς crimini dedit, declaratur Eph. 4: 17, 18. διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν ȣ̓σαν ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας, per quam desponderant sublimiorem pecudibus vitam. Nomine rei, quae penes aliquem esse oportet, quum ea deficere videtur, uti solemus interdum ad ejus inopiam, non copiam significandam cum hoc vel simili adjectivo, ab rei natura alieno, ita ut contradictio, quam vocant in adjecto efferatur. Sic ματαία ἐλπὶς eorum qui spem habent opinione tantum, non re et veritate. Cor. 1, 15: 17. coll. Thess. 1, 4: 13 etc. Sic σοφία ἀνθρωπίνη, τȣ̃ κόσμȣ vana, nulla sit, necesse est, quia sapientia omnis a Deo proficiscitur; item πνεῦμα κόσμȣ, δȣλείας, ὁ θεὸς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, specie est πνεῦμα, θεὸς, non re, id quod ex adjecto intelligitur.

**) Externa argumenta, quaecunque ea sunt, miraculorum genere comprehenduntur: nam oracula quoque, quibus homo fundere creditur sensibus hominum nullis cog-

cuntur homines, ut credant, religiones earum opera vulgatas a Deo sancitas esse. Sed quoniam homines ipsi nec intus neque extrinsecus tanguntur a Deo, nec suis ipsorum sensibus compertum habent, ut iis quae perhibentur instrumentis vel ministeriis Deus utatur ad religionem ejusmodi constituendam: omnia tandem redeunt ad hominum testimonia et vulgi credulitatem. Israelitae ex. c. Mosi crediderunt, Jehovam sive angelum in monte Horebo mandata dedisse Mosi; Minoi Cretenses, in Ida Minoëm doctum et instructum esse a Jove, Romani Numae, Deam Egeriam in nemore quodam nocturnos cum rege congressus habuisse. Mediatori igitur, si verum quaerimus, prisci tribuerunt fidem, non ipsi Deo; miraculorum autem, quae mediatori contigisse feruntur, historicam probabilitatem quotus quisque olim explorare potuit aut hodie explorare potest in rebus tam vetustis, ac primis litterarum monimentis dudum deperditis vel immane quantum confusis atque ex alia forma in aliam (incertum quorum arbitrio) multum permutatis, ut si quis hodie quamlibet causam agens ita comparatis tabulis uti vellet, irritas judices eas haberent? Et, si non difficile fuit Minoi persuadere pastoribus, ut Lactantius probe monet: num decet nos, tot seculis eruditiores quot posteriores, caeca fide pastoribus illis aggregari credulis, adeoque nos gerere crediliores. Nam si Moses

---

noscenda, nulla conjectura percipienda, miracula sunt. Neminem igitur ad fidem mediatae religionis adducere licet, praeter eos, qui miracula credant eaque supernaturalia: haud enim satis est miracula credere Dei naturalia, cujusmodi plurima quotidie nobis ob oculos versantur. Quin ipsi sumus θαυμαστοὶ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Ps. 139: 14.

nihil nisi fabulas enarrasset situ ter mille annorum obductas: nihil profecerat; sed ille scientiam et artes Aegyptiorum callens, Arabiae notitia longa plurimaque experientia instructus, quum singularem prudentiam et gravitatem cum fortitudine et constantia conjungeret, itaque facinora omni opinione vulgi majora efficeret: sic facile fidem impetravit rebus, quas nullo teste evenisse perhibebat. Eodem modo rerum publicarum principes olim, quoties ipsorum auctoritas non sufficiebat ad plebem domandam, cohibendam, stimulandam: Deorum ostenta, prodigia, oracula auxilio sumere consueverant.

Tanta profecta est gravitas rerum sacrarum, tanta pericula fraudis, ut nisi nos penitus almam divinitatem persentiamus, quam in semet ipsa habeat religio, non propter mediatoris personam et propter apparatum promulgationis: merito levitatis ac temeritatis accusandi essemus amplectentes. Quae quidem *γνῶσις* et *ἐπίγνωσις ἀληθείας* in Christi religione oblata hodie tam facile fieri potest adeoque facilius quam apostolico aevo, quoniam ejus concentus cum axiomatis rationis humanae usque perdurat, opinionumque commenta delet dies; naturae, id est Dei judicia confirmat. Quare immediata revelatio nunquam desinit esse *καινὴ διαθήκη*, recens et integra necessitudo cum Deo; omnis autem mediata *παλαιῦται*, simul ut documenta ejus obsolescunt, atque in hominum sensus cadere praesentia cessant, vel posteri plus aliquanto sapere coeperunt majoribus. Quin reputamus, quod Origenes probe animadvertit: *Καὶ τῦτο*, inquit, *ἐπισκεπτέον, ὅτι αἱ μὲν τεράςιοι δυνάμεις τὺς κατὰ τὸν χρόνον τῦ χριςῦ γενομένυς προκαλεῖσθαι ἐπὶ τὸ πιςεύειν ἐδύναντο· ὐκ ἔσωζον δὲ τὸ ἐμφατικὸν μετὰ χρόνυς πλείονας,*

ἤδη καὶ μύθους εἶναι ὑπονοηθεῖσαι. Hoc si Origeni tempore usu venit tertio post Christum seculo: quant imbecillius erit hodie τὸ ἐμφατικὸν τῶν τεράτων, quibu revelatio supernaturalis religionis Christianae cernatur Nolint ergo succensere nostris aetatibus ii, quos Bac significanter mirabiliarios et prodigiastros vo cavit, quod nihil fere agunt, hominibus inculcantes Christianam religionem, si religio immediata non esset si probabilis tota rationi et intelligentiae hominum eam summa fide carere; ejus divinitatem stare cade reve miraculis. Sic, dum miracula illa renovare e instaurare a senio magis magisque graviore non possunt ipsi adeo suum seculum instigant atque subornant, u religionis Christianae divinitatem non probabilioren existiment miraculis suo fato dubiis et incredibilibus vel historico aevo superioribus, quae poeticis magi decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarun monimentis traduntur. Sic stulti religionis Christianae si Deo placet, patroni τὴν ἀπιστίαν vel certe ἀδιαφορίαν ut nunc cum maxime, augent.

Verum tamen hoc bene habet, quod, ut sicu positiva lex nulla invenitur, quin naturalis legis plu minusve subsit (Cic. Off. 3: 17), sic positivam siv supernaturalem religionem, mediata revelatione glo riantem, nullam reperire liceat, quin plus minusv naturalis religionis secum portet. Hoc tamquam con dimento homines probae mentis et sanae rationis unic juvantur ac delectantur, qui si qua religio mere super naturalis animis objecta esset, plane fastidirent e abhorrerent. Ex quo venit, ut religio Judaeorun Gentilibus arrideret permultis propter ea, quae Mose et potius prophetae communi rationi et sensui καλο κἀγαθίας consentanea praecipiebant, non autem pro

pter fabulas illas βεβήλες καὶ γραώδεις καὶ τὰς ἐντολὰς ἐν δόγμασι, quas Christus aboliturus erat. Qua re Judaei Alexandrini omnem operam in eo posuerant, ut allegoriis philosophicis haec tamquam pudenda operirent; quamquam in religionibus, ut ita loquar, mixtis et confusis etiam dictamina naturae quodam errore suam propriam sanctitatem ab supernaturalismo accepta habuisse videntur, quemadmodum luna lucet aliena luce; et si dogmata positiva tamquam ejusdem fontis pronuntiantur cum axiomatis naturae, parem illa sibi potestatem, imo majorem divinitatem arrogant, quasi homines his rejiciendis illa simul perdituri essent. Hinc Judaistae disciplinam Christi Mosaicis cerimoniis et ritibus, ut circumcisione, expurgatam, pro divina nolebant agnoscere eamque negabant per se solam satis valere ad bene beateque vivendum. Hinc Judaei quidem concedebant, Gentiles, septem illa quae vocabantur praecepta Noachidarum tenentes, id est legem naturae, beatae vitae participes fore, dummodo tenerent idcirco, quod ea Moses inter alia tradiderit Israelitis; sin autem eadem custodirent, ex suae mentis persuasione: omnem operam perditum iri. Similiter censent hodie nunc Dogmatistae nonnulli, qui omnia, quae Christus docuit cum sensu communi et lege naturae consentanea, sejungunt ab iis, quae praeter humanam rationem et supra intelligentiam nostram tradidisse eum faciunt; atque in hac parte supernaturali praecipuam et propriam doctrinam Christi collocant, qua profitenda hominibus contingat vita aeterna. Sed parum intelligunt, hanc partem rursus dividi posse in ea, quae Judaei veteres et recentiores, Pharisaei praecipue ante Christum ἐδογματίσθησαν ab sensu communi et sana ratione aliena, ex. c. de re-

surrectione carnis, de diabolo ejusque obsessionibus, de regno millenario, de lapsu primorum hominum, de peccato hereditario; et quae ante Christum nemo prorsus docuerit sive consentiens rationi humanae sive discrepans. Nos quidem audemus, nihil curantes *κατάκρισιν* supernaturalistarum, quotquot ii numero sunt, cum Zuinglio censere, qui: „Lex naturae, inquit, nihil aliud est quam vera religio, notio scilicet, metus et cultus numinis supremi, quam notionem quemque cultum nemo docere potest nisi solus deus (immediata revelatione). Hanc naturae legem, a Deo insculptam humano pectori, falsis opinionibus erroribusque turbulentis et superstitionibus anilibus obrutam malisque moribus foedatam, Christi gratia instauravit." Christus ergo *τὸν λόγον, τὸν ἀπ' ἀρχῆς, ἐλάλησε, καθὼς ἐδίδαξεν ὁ πατὴρ*, non Moses, non *οἱ καθίσαντες ἐπὶ Μωσέως καθέδρας γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι*, non ullus magister mortalis; et quod ea vere, sincere et simpliciter docuit, quod *πάντα, ἃ ἤκουσε παρὰ τοῦ πατρὸς*, cum hominibus, ut fratribus, communicavit, hoc proprium et praecipuum est ejus doctrinae. Quod autem quae dedit praecepta pulcherrime factis expressit, quod vixit pro ut docuit; quod manifesto apparet, eum nihil *ἀφ' ἑαυτοῦ* egisse, suae libidinis, sui commodi, suae gloriae causa, hoc est documentum unum certissimum divinae, quam gessit homo, personae.

Ingenue ergo fatemur, nos *ἐκ διαμέτρου ἀντικειμένους* esse illis theologis, qui quod in promtu est credere omnibus hominibus communi sensu praeditis, quodque *ἐγγύς ἐστιν ῥῆμα ἐν τῷ στόματι αὐτῶν καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ*, ita ut nec supra naturam et intelligentiam humanam neque infra tendere sit opus ad illud acces-

sendum; *) denique quicquid nihil prorsus indiget mediatae revelationis demonstrationibus, quoniam suae veritatis ac divinitatis testimonium in humano pectore reconditum habet, haec minoris aestimant istis, quae tanto difficilius est credere, quanto plus natura et ratio et conscientia potest polletque in nobis, omnia recusans, quae cum ipsa non congruant. Unde factum est, ut supernaturalistae consummati eos demum beatos praedicent, qui abdicando sensu communi et lumine naturae in rebus certe sacris suam, si Deo placet, fidem exerceant, et quae animo et mente comprehendi aut cogitari cumque idea Dei omniparentis conciliari nulla via et ratione possunt, labiis tamen profiteantur, instar Tertulliani, qui statuere ausus est, quo quid absurdius sit, quo magis sanae rationi repugnet, eo magis esse credendum ac Deo dignum. Nos contra usque ad extremum spiritum cum Zuinglio et Turrettino contendemus, non exigere Deum, ut homines *ἀκατάληπτα* credant, h. e. mentiantur: nam credi non posse *ἀσύςατα*.

Jesus certe ejusque probi apostoli, quantum per sua tempora licuit ac sui seculi homines *ἐβάςασαν*,

---

*) *Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σȣ· τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν ȣ̓ρανόν; τȣ̃τ᾽ ἔςι Χριςὸν καταγαγεῖν* (sicut Gnostici e pleromate aliquem aeonum devocabant, qui Christus esset). *Ἢ τίς καταβήσεται εἰς ἄβυσσον; τȣ̃τ᾽ ἔςι χριςὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν* (sicut Judaei fingebant Davidem sive Josephum sive aliquem veterum ab inferis reducem fore, qui Christum se praeberet. Utrumvis autem si factum esset, ultra hominum jacebat cognitionem, res credulitatis, non fidei, quae quidem sciscitatur non unde qui Christus esse fertur, sed qualis, num ad necessitates, desideria, vota nostra appositus, *οἷος ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς*). Rom. 10: 6, 7. — „Quod supra nos, nihil ad nos.“ Socrates. Vid. Grotius ad Siraciden, 3: 26, 27. sq.

id aperte moliebantur, ut mediata revelatione summota immediata sola vigeret, ut nulla intercessione supernaturali homines ab ipso deo, uno communi universorum parente, sese diremtos opinarentur, sed ea necessitudine simplice et absoluta, qua liberos cum parente natura conjunxit, ἐκ τȣ̃ πατρὸς τῶν πνευμάτων se totos pendere, ad eum solum se totos redire crederent τὸ κατὰ πνεῦμα. Jesum vero apostoli hominem, Dei ac hominum mediatorem, non intercessorem, ita cogitabant cogitandumque proponebant, ut filiorum obedientissimum, dignissimum, pari pietate et in patrem et in fratres eminentissimum, familiae suo jure caput, a patre proximum, qui praeter ceteros beatissima communitate cum eo perfruitur, prout eam, quae est homini cum Deo, similitudinem prae ceteris gerit, atque ad eam similitudinem et communitatem appetendam fruendamque exemplo suo maxime commovet, dirigit, ducit. Quae si ita sunt, ut nos justa et aequa interpretatione litterarum Paulinarum evincere confidimus: deprecamur a Paulo certe illam „sententiarum quarundam atque opinionum obscuritatem, qualis est hominum religiosorum, ut quorum animi potius inexplicabilibus sensibus moveantur, quam perspicue quidque distincteque cogitatum dispiciant; quum piorum sit, ea quae mens humana capere non potest ut sancta et homini non tangenda venerari; religiosi autem aliquid amplius se possidere opinentur, atque impares definiendo speciem sibi quandam et simulacrum suis amplexibus fingant:“ quae fere verba sunt Hermanni, Programm. p. 4. Fac Paulum hoc modo religiosum, et si sapis abstinebis ab ejus interpretatione: nam obscuritatem sermonis inexplicabilia sensa

molientis explanare est irritus labor, ex. c. Jac. Boehmii scripta.

Temperare mihi non potui, vir amicissime, quin Tecum communicarem, quae, dum discrimen mediatae et immediatae revelationis, quod Hermannus digito tantum attigit, inquiro, in mentem venerunt. Pro meis votis adsiduus vale, et si quid nosti rectius istis, candidus imperti!

DE NOVO GENERE *ΑΠΟΣΙΩΠΗΣΕΩΣ* QUOD HERMANNUS COMMENTUS ESSE VIDETUR.

Ad Gal. 2: 19. Hermannus: „Quum dicit Paulus: *ἐγὼ γὰρ διὰ νόμȣ νόμῳ ἀπέθανον*, quidam interpretes“ (nuperrime Winerus) „*διὰ νόμȣ* de lege Christiana intelligendum putarunt. At id nec per verba licet nec necessarium est per sententiam. Immo, quum modo praecesserit *ἃ κατέλυσα* apertum est, si minus breviter locutus esset, locuturum fuisse apostolum *διὰ νόμȣ ὃν κατέλυσα.* Hoc loquendi genus explicaverunt, ut aliquos saltem nominem, Lobeckius et Erfurdtius ad illud in Sophoclis Ajace v. 674.

δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε
ϛένοντα πόντον.“

Arduum est meherele *εἰϛελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τȣ̃ ἰσχυρȣ̃ καὶ τὰ σκεύη αὐτȣ̃ διαρπάσαι*; irrumpere, puta, theologis periculosum est in campum philologiae profanae ac praecipuum quendam hujus artis magistrum armis, quibus iste confidit, ut suis et propriis, adoriri. Sed tamen incessit me dira cupido certamen subire.

Pro meo more, dum auctores qui citantur ipse cognosco, fide coeca credere nolens, hoc vel illud eorum dictis comprobatum evictumque esse, reperiebam primum, pro δεινῶν rescripsisse Lobeckium λείων, quae mihi quidem perplacet conjectura. Sic τὸ πνεῦμα λεῖον καὶ καθεστηκὸς est apud Aristoph. Ran. 1033, et mare pacatum solent λεῖον vocare poëtae. Vid. Jacobs animadvss. in Epigramm. Vol. X. p. 154, ubi λείῳ ζεφύρῳ pro πολίῳ ζ. rescribitur, quippe quod ferri nequeat posterius; et ibid. XII. 474. Ergo πνεῦμα λεῖον, i. q. λειαῖνον τὴν θάλασσαν, πρῆϋ, μαλακόν, ἐκοίμισεν i. q. ἐλέανεν, ἐγαλήνωσε. Latinis tamen poetis frequentior est lĕvis aura, quam lēvis.

Vehementia quidem, δεινότης, ventis flantibus convenire videtur, non item spirantibus auris, vernacule den wehenden Lüften. Ennius apud Cic. de N. D. 2: 114. „Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri." Jam facile est intelligere, ut levium aurarum spiritus pontum sedet, sopiat, quemadmodum cantilena nutricis ad cunas plorantem infantulum. Gravium, vehementium πνευμάτων ἄημα sopire nullo modo potest. *)

Contra Lobeckium receptam lectionem defendit Erfurdtius uno exemplo capto ex hujus ipsius fabulae proximis versibus: ἐκ δ᾽ ὁ παγκρατὴς ὕπνος Λύει

---

*) Lectionem, quam unam externa Critica novit, Huldricus Faesius, professor Linguarum, vicinus noster atque amicus, cujus eruditionem in consilium adhibuimus, non mutandam censens arbitratur, validum ventum unius tenoris (cujus quidem apud auctorem nulla significatio: nam pluralitas δεινῶν πνευμάτων diversitatem potius quam conspirationem indicare videtur) citius componere maris tumultum, quam solam remis-

πεδήσας, ὃδ' ἀεὶ λαβὼν ἔχει; altero ibid. e v. 697. *ἔλυσε γὰρ αἰνὸν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἄρης.* Tertium petiit e Val. Flacc. 1: 434. At tibi collectas solvit jam fibula vestes; et quartum ex Hor. Od. 1, 14: 19. „nec malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvet Amor die." Quibus in locis omnibus velim attendatur verbum solvendi cum subjectis, quae ut prehendendi, ligandi, constringendi, sic rursus etiam solvendi, dimittendi potestatem habent. Meminimus enim illorum versuum Virgilii:

Aeole! namque tibi divom pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento.

Ac de Mercurio idem: Dat somnos adimitque. Somnus quoque et obrepit mortalibus et relinquit eos. Deinde primum et ultimum horum exemplorum *τὴν παραδοξίαν* suae dictionis expediunt satis, illic vocibus *ἐκπεδήσας ὃδ' ἀεὶ λαβὼν ἔχει*, hic Amore sic definito: malis divulsus querimoniis. Quin etiam eo, quem Hermannus laudavit, loco dissolutum habemus nodum legentes cum Lobeckio *λείων* pro *δεινῶν*. In tertio per se liquet, Martem, *αἰνὸν ἄχος* qui solvit *ἀπ' ὀμμάτων*, eundem prius oculis objecisse Ajacis. Sed videatur Musgravius ad h. l. pro *ἀπ' ὀμμάτων Ἄρης* rescribens *ἀποστατῶν Ἄρης*, cum hac adnotatione: „Recte apud Horatium Od. 2, 4: 10. ademptus Hector tradidit

---

sionem procellae, quae prius mare sollicitasset; de quo judicaverint nautae periti. Quid si rei speciem, non veritatem curantes, ut apud poëtas, venti conflictum cum mari seditioso ac turbulento cogitemus, qui non dirimatur, usque dum ambo desaevierint atque exhaustis viribus tamquam defatigata conquiescant. Sic utrumvis opinari licebit, ab Aeolo mare sedatum esse et mare infregisse potentiam venti.

fessis leviora tolli Pergama Graecis. At qualis, obsecro, sententia esset, si omissa voce ademptus dixisset tantum, Hectorem Grajis Trojam facilem expugnatu reddidisse? Pari modo dictum hic oportebat non ut nunc: „Ἄρης ἄχος ἔλυσεν, sed Ἄρης ἀπερχόμενος ἔλυσεν, ut Aristoteles περὶ θαυμ. ἀκουσμ. 122. ἀπέρχεται τὸ δαιμόνιον. — Phrasis ἔλυσεν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων, quamquam facilis explicatu, aliunde mihi non innotuit. Sophocleum est verbum ἀποστατῶ. — Sciendum est, Martem juxta cum Saturno pro sideribus noxiis habuisse veteres, qui inter alia mala morbum caducum inferret, denique et insaniam. Unde Claudianus:

Quod furis, adversi dedit inclementia Martis.

Jam liquet, Marti, auctori furoris, quo correptus fuerat Ajax, h. l. acceptum referri diri morbi decessum. Etenim novimus, veteres Diis malis haud segnius operatos esse, ut averruncarent mala, quam bonis, ut prosperarent bona. Nostra quidem sententia Erfurdtius parum proprie: „Ἄρης, inquit, est rabies qua correptus fuerat Ajax." Rectius dixisset: auctor rabiei, qui satiata ira vel placatus αἰνὸν ἄχος, rabiem, dissolvit. Subjecto et praedicato confuso non haerere non potest interpres.

Quintum exemplum e Trachiniis v. 656. depromtum: νῦν δ' Ἄρης οἰστρηθεὶς Ἐξέλυσ' ἐπίπονον ἁμέραν. Ἀφίκοιτ', ἀφίκοιτο. „Nunc autem Mars infestus consumsit, exhausit aerumnosam diem; sat habet immissorum malorum," eadem ratione explicandum videtur.

Schaeferus ad Ajac. 674. laudat eum, quem Heynius ad Homeri Il. 10: 98. dictavit quasi canonem: „Plura in prisco sermone occurrunt, in quibus pro defectu et absentia rei ipsa res ponitur (ὕπνος pro ἀϋπνία), cujus generis multa in Lyricis et Tragicis

animadverti possunt.“ Non ad manum habemus Heynium; at vero Homerum, ubi nulla sic statuendi nobis quidem causa apparet, modo ne ὕπνῳ cum ἀδδηκότες conjungas et reddas, ut est in Schneideri Lexico: insomniis fatigati. Ὕπνῳ κοιμᾶσθαι justa locutio est, quam reperias ex. c. apud Aeschylum in Prometheo Vincto: βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ. Sic ὕπνω καταλαμβάνεσθαι, εἰς ὕπνον ἐμπίπτειν, καταφέρεσθαι, τρέπεσθαι etc. Sed in mendo esse videtur ἠδὲ καὶ, pro quo legere placet ἤδη. *)

Reliquum est unum exemplorum ab Erfurdtio allatorum ex Hor. Od. 1, 18: 16. „Arcani fides prodiga, perlucidior vitro.“ Ubi fides est facilitas illa stulta fidendi, videre negligens cui fidas, omnibusque hominibus enuntiandi quaecunque scias et cogites, quemadmodum credulitas est proclivitas omnia quae homines dicunt credendi; fides ergo per euphemismum garrulitas illa plena rimarum, quae hac atque illac perfluit. Homines poëta significat, sua prodentes arcana, non quae commissa habent ab aliis. Falluntur, qui secundum canonem Heynii fidem pro defectu

*) Rectius istis hoc impertivit amicus: postquam enim luculentis exemplis Odyss. 6: 1, 2. 12: 281. Hor. Carm. 3, 4: 11. convicit, non tangere licere h. l. textum, scite submonuit, κάματον ἠδὲ καὶ ὕπνον dici somnum, qui e nimio labore fessis obrepat; ὕπνον ergo non esse insomniam, quam vernacule dicimus Schlaflosigkeit, sed somnolentiam, quod quidem vocabulum quinto demum seculo usu venit, Schläfrigkeit, vim somni invictam, qui propterea πανδαμάτωρ vocatur. Sic fusa corpora vino somnoque apud Virgilium. Nodum, qui non in vocabulo ὕπνῳ, sed in verbo ἀδήκοτες inest, Buttmannus (Lexilogo p. 128) expediit. Horatius ἀδηκότες optime expressit latino fatigati, h. e. labore et somnolentia vexati adeo, ut custodiarum affatim haberent.

fidei scripsisse volunt, ex. c. Mitscherlich; quae prodiga arcani potius est nimia fides, ut vernacule loquamur: eine das Herz auf der Zunge tragende Traulichkeit.

Nonnemo judicavit, „λείων ab illo, quem Hermannus ipse laudavit, loco plane alienum esse propterea, quod Ajacem ex leni aura, quae quum nunquam modum excedat nec servare quidem modum queat, exemplum capere minime conveniat." At vero πνευμάτων ἄημα exemplo sumere convenit, quod ut increscere, invalescere, sic rursus decrescere, mollescere potest, κοπάζειν. Sic Aeolus premens habenas mulcet fluctus, mare tranquillat; non item laxans. Quamobrem nequaquam dicere licet: δεινῶν ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε πόντον; consentaneum est λείων. Sapienti sat; quare non opus erit me longiorem esse, ut Hermannus sentiat, hoc loquendi genus frustra e tragicis, lyricis et epicis arcessitum esse ad enodationem loci Paulini. Haec profecto sive ellipsis sive aposiopesis διὰ νόμου scil. καταλελυμένου nimium quantum dura et coacta est; quid quod natura et ratio universa sermonis humani repugnat.

Postremo videamus hujus explicationis usum, quidnam sententiae pariat. Quam potestatem Aeolus in ventos, Mercurius in somnos, Mars in cerebrum habet, eam sibi Paulum in legem vindicasse facit, pro suo arbitrio ἢ στῆσαι ἢ καταργῆσαι, ac dixisse Petro coram illis Judaeis (Gal. 2: 14): διὰ νόμου (vi legis, quam ego abdicavi, destruxi, irritam feci), νόμῳ ἀπέθανον (totus vaco ab observatione legis). Ergo vi legis irritae, exemtum se legis religione dixisset, non dixisset, qua tandem potestate irritam fecerit ipse legem. Quo audito fieri non potuisset, quin auditores olim uno ore insani hominis esse istam vocem clamarent; ac nos hodieque verba ejus hunc in modum accepta pro absurdis putare necessitas cogit. Ceterum orare fas est philologiam profanam, ut ne pediculum in sacra videat, dum in semet ipsa ricinum non cernat, qualis est ille canon ab Heynio conditus, plane irrationalis, per quem noctem pro die, οὐ pro ναὶ dicendi licentia datur.